

Eques Petrus Leo Ghezzi inu. et delin.



BREVIS ENARRATIO
SACRORUM RITUUM
SERVATORUM

In aperiendo, & claudendo

PORTAM SANCTAM

PATRIARCHALIS BASILICÆ LIBERIANÆ

S. MARIÆ MAJORIS

Ab Eminentissimo, & Reverendissimo Principe

PETRO CARD. OTTHOBONO

S. R. E. Vice-Cancellario, Episcopo Sabinensi, ejusdemque Basilicæ Archipresbytero, & Apostolico de latere Legato.



ROMÆ, MDCCXXVI.

Ex Typographia Antonii de Rubeis in Via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO
IN SACRORUM RITUUM ENARRATIONEM JOANNIS CHRISTOPHORI BATTELLI ARCHIEPISCOPI AMASENI

AUCTORE

ANTONIO DOMINICO NORCIA

S. Laurentii in Damaso Basilicæ Canonico.





EA est omnium pene Scriptorum, qui aliqua eloquentiæ laude floruerunt, communis consuetudo: ut nonnulla libenter sinant sibi è calamo excidere; ægre vero sibi patiantur ascribi. Mirum propterea minime videatur, hanc Brevem Enarrationem sacrorum rituum,

tuum, servatorum in aperiendo, & claudendo Portam Sanctam Patriarchalis Basilicæ Liberianæ, a disertissimo Præsule Joanne Christophoro Battelli, Archiepiscopo Amaseno, & ejusdem Liberianæ Basilicæ Canonico, facilius fuisse partam, quam inter proprios ingenii fœtus relatam. In tenui posuisse laborem, Vir alioquin modestissimus, dum vità pauloante fruebatur, forte secum animo reputaverat; aut inde potius non tenuem sibi eventuram gloriam, quà præditus erat animi virtute, contempsit. Quicquid in causa fuerit: egregium opus præclarissimi Authoris nunquam invenisset Parentem, nisi perpetuo amisisset. Hactenus in re, alienæ fidei commissa, cui profecto par erat satis juris assertum fuit. Ex eà vero quænam possit in publicum utilitas derivari, cunctis clare, superque patet catholicæ religionis cultoribus. Sacris siquidem ceremoniis animus in admirationem trahitur: mens humi jacens ad superna rapitur: nutritur fides, fovetur pietas, augetur charitas: & quasi quibusdam opposita catholicæ religionis fervidioribus radiis, durissima infidelitatis glacies resolvitur. Testatur quippe ter magnus ille Ecclesiasticorum Annalium Princeps: Valentem, Imperatorem Arianum, visis in templo sacris ceremoniis, maximam erga res catholicorum reverentiam concepisse. Cum itaque hoc Jubilei Anno non omnibus datum sit cernere ductam per Exquilias solemnem pompam, quà Eminentissimus Cardinalis Otthobonus, Apostolico de latere Legatus, Auream Portam Liberianæ Basilicæ Sacerdotali dextera reseravit: hic graphice expreßam nitidissimis eloquentiæ coloribus intueri nemini non licebit. Quisquis prætereà sacræ supplicationi, tunc temporis magnificentius decretæ ad veneranda Cunabula Salvatoris Nostri Jesu Christi, *interfuisse gauderet: longo*

ordi-

ordine subiectam oculis excepisse lætabitur. Si forte aliquis misericordiam, & veritatem requiret, quà olim sacra ipsa Cunabula erepta fuerunt Saracenorum furori, totam fere Palestinæ regionem flammâ, ferroque vastantium: & inde Romam advecta, in Templo S. Mariæ Majoris recondita, atque asservata fuerunt pluribus ab hinc seculis: utramque inveniet ex veterum monumentorum fide luculenter expositam. Varias enim Scriptorum sententias ad sæverioris judicii trutinam revocat accuratissimus Author; & suam ipse expendendam subjicit opinionem, apud omnes liberaliter eruditos multum profecto ponderis habituram. Ille hucusque, scribendo, progressus fuerat. Ego interim parere coactus alienæ voluntatis imperio, quod reliquum erat, præ virium tenuitate, supplevi. Sed sacram solemnitatem Aureæ Portę obserandę, & eam pręcedentes, vel subsequentes actiones, contracto verborum ambitu referre studui; cum integrum rerum specimen, impressus in calce operis, Liber Pontificalis exhibeat. In tam arctâ suscepti muneris parte quęsieram delitescere; sed liberum animi consilium intercepit obsequii gloria. Accedit, corollarii loco, Anonymi Scriptoris Ode, in Sacrosanctam Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris, venustatem potius, quam vetustatem præseferens. Cujuscumque sit ævi: ut typis committeretur Archiepiscopus Amasenus optaverat, data sexto Idus Aprilis Anno MDCCXXV. ad Eminentissimum Cardinalem Otthobonum epistolà. Cuinam vero acceptum referendum sit beneficium, quo nuper in lucem editos Liberianæ Basilicæ Ritus & admirabitur pręsens, & futura omnis imitabitur ętas, silentio cogimur pręterire. Hoc unum reticere non possumus: quod Ille, de quo nunc loqui vetamur, cum ingentem quoti-

die decorem addat Christianę Reipublicę, amplissimum a se collatum quodcunque munus, prę animi sui magnitudine, exiguum esse arbitratur. O utinam sacris unius Basilicę Fastis, totius Urbis accederet Sanctitas, Majestas, & Gloria! Longe, lateque terrarum Orbi innotesceret, si tantummodo traderentur posterorum memorię a Benedicto XIII. *P. O. M. patrata hoc ipso Jubilei Anno mirabiliter opera. Nullum quippe Sacrorum Rituum peritiorem habuit Romana Sedes Antistitem; & solus Ipse, si pars aliqua posset unquam deficere, totius ecclesiasticæ Liturgiæ sapientissimus Restitutor existeret. Supra vires longævæ ętatis nec moram, nec requiem novit, in explendis, propemodum immensis, Pastoralis Officii laboribus. Factus omnibus Apostolicæ humilitatis exemplar, Domus Dei decorem tantà animi magnitudine extollit: ut Augusto felicior, Templis refectis, & Aris, post longam annorum seriem (sicut enixis precibus flagitamus a Deo) marmoream relicturus sit Urbem, quam lateritiam invenit. Incertum est, an majori pectoris robore sarta tecta tueatur apostolica jura: an majori mansuetudine cordis ecclesiasticam disciplinam instauret. Omnium contemptor opum, eas plurimi facit, alienæ cogitans utilitati prospicere: pauperrimus in divitiis, in paupertate ditissimus. Tantum corpori tribuit, quantum animo prodest; vivendo cupiens servire Deo: qui terrę ingenti concussâ motu Beneventi Urbe, exaltavit illum de portis mortis, ut annunciet omnes laudationes suas in Portis Filiæ Syon. Quarum precipua commemoratione virtutum, totius terrarum orbis felicitas, & Regalis Sacerdotii dignitas continetur.*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Palat. Apost.

N. Baccarius Ep. Bojan. Vicesg.

APPROBATIO.

ENarrationem Sacrorum Rituum, qui servati fuerunt in aperiendo, & claudendo Portam Sanctam Patriarchalis Basilicæ Liberianæ anno Jubilei 1725., ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Joanne Christophoro Battelli, Archiepiscopo Amaseno inchoatam, & ab Illustrissimo Domino Antonio Dominico Norcia S. Laurentii in Damaso Basilicæ Canonico absolutam, ac gravi, splendidàque Præfatione exornatam, pari animi attentione, ac voluptate perlegi, jussu Reverendissimi Patris Gregorii Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistri. Nihil in ea deprehendi, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adversetur: immò singularem eruditionem styli candore, & venustate conspicuam inspexi. Quarè publica luce dignam censeo hanc disertissimam Enarrationem, ex cujus lectione luculenta suppetent fidelibus documenta translationis Præsepis, & Cunarum Redemptoris, quæ olim apud Betlehem deposita, nunc verò in Liberiana Basilica recondita servantur; præstòque ipsis erunt validiores ad pietatem stimuli, dum animo revolvent adorandos Ritus, in principio, & fine Universalis Expiationis Anni Sancti servari solitos, quos invenient ad vivum expressos, & concinnè descriptos. Ita judico, salvo meliori &c. Ex Domo S. Laurentii in Lucina Kalendis Martii 1726.

Cajetanus Corazza Clericorum Reg. Minorum. In Collegio Urbano de Propaganda Fide S. Theologiæ Scholasticæ Lector, Cleri Urbis Examinator, & S. R. Universalis Inquisitionis Qualificator.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Palat. Apost. Magister.

A 4 SAN-


Pars frontis Basilicæ Liberlanæ, ornata podijs munita septis: et ad ape-
riendam Portam Sanctam Emus Card Legatus, præeunte Clero, procedens





Vincenzo Franceschini Sculp



ANCTISSIMI JUBILEI Universalis solemnem Indictionem, communibus Orbis Catholici votis expetitam, quæ pro veteri more Romanæ Ecclesiæ, die Ascensioni Dominicæ sacrâ, XXV. Maji, Æræ Christianæ Anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto, peragi debuisset, Innocentii XIII. Summi Pontificis, die VII. Martii ejusdem Anni humanis rebus exempti, inopinatus obitus intercepit. Extincti Principis, Civisque sui casum gravissimè tulit Roma, quæ, dum Ille rerum potiretur, nihil triste Christiano populo contigisse cum jucunditate meminerat, ejusque temperatam in primis, & placidam imperandi rationem, inconcussum in Apostolicę Sedis juribus propugnandis animi robur, ac sedulum Pacis ubique conservandę studium, meritis laudibus efferebat. Caruit itaque Catholica Ecclesia tres penè menses Rectore suo; at Eminentissimi Patres interpositam in eo designando moram cumulatissimè compensarunt, delecto in Vaticanis Comitiis ex melioribus Optimo, talique demum Summo Sacrorum Præside, & Jesu Christi in terris Vicario constituto, qualem sanè difficilis temporum conditio postulabat. Eam porrò Electionem divino potius afflatu, quàm humano consilio, fuisse peractam satis constat; nam in ipso vehementiori dissensionum æstu, undè diuturni interpontificii incommoda me-

tuebantur, ex improvisò Omnipotens Dominus Electorum mentes, cælesti suo lumine illustratas, ad concordiam adduxit, atque dirigere dignatus est in Eminentissimum Cardinalem URSINUM, Archiepiscopum Beneventanum, Episcopum Portuensem, & Sacri Collegii Decanum: qui, utpote præcipuum, maximumque decus & inclytę Gentis, unde prodierat, & religiosissimi Prędicatorum Ordinis, in quo fuerat educatus, & ejusdem met Sacri Cardinalium Collegii, cui ante quinquaginta tres annos adscriptus fuerat, mirâ summâque suffragiorum consensione ad supremam B. Petri Cathedram evectus est die XXIX. Maji: & BENEDICTI XIII. faustissimum Nomen assumpsit.

Inter Apostolici Ministerii primordia Sanctissimo Patri illud in primis curæ fuit, ut Universale Anni Sancti Jubileum huc usque dilatum indiceretur, ejusque solemni evulgationi proximum Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, diem scilicet XXIX. Junii, datis eâ de re Reverendissimo Archiepiscopo Amaseno, Abbreviatori de Curiâ nuncupato, opportunis monitis, destinavit. Illicò Abbreviator pro munere suo Literas Apostolicas ejusmodi Indictionis exaravit, & à Summo Pontifice perlectas, ac benignè probatas expediri, plumbeoque signo, ut moris est, die XXVI. præfati Mensis Junii communitas, typis deindè excudi curavit. Eâdem die Sua Sanctitas in Consistorio secreto, habito in Palatio Vaticano, consilium, quod inierat proximè indicendi memoratum Jubileum, Eminentissimis Cardinalibus aperuit, & singulis Literarum Apostolicarum exempla impressa per Præfectos Cæremoniis Pontificiis distribui jussit.

Aderat jam dies Principum Apostolorum martyrio consecrata, qua, dum Sanctissimus cum universo sacro Collegio ad Vaticanam Basilicam sublimi sellâ devectus proficiscebatur, ibidem solemni ritu Sacris operaturus, Eminentissimi Cardinalis Oliverii, Brevium Secretarii, Substitutus in ejusdem Basilicę Porticu Diploma authographum Jubilei Sanctitati Suæ exhibuit, ut illud more Majorum promulgari pręciperet. Pontifice (signo Crucis super eum producto) hujusmodi publicationi benignè annuente, protinus Curię Abbreviator Cappâ suprà Rocchettum (ut vocant) indutus acceptum à Substituto Diploma ex Ambone, ante fores Basilicę ad id erecto, clarâ voce perlegit: frequentissimoque circumstanti populo, nec non Illustrissimis Vice-Camerario, Pręsidentibus Clericis, ac officialibus Camerę Apostolicæ Cappâ similiter indutis, qui in paratis subselliis assidebant, palam evulgavit. Evulgationem præcedere, & consecuti sunt tubarum clangor, tympanorum sonitus, & bombardarum Arcis Hadrianæ reboatus. Inter hæc memoratis Camerę Apostolicę Ministris, & post Pontificiæ Missæ solemnia, Cardinalibus etiam, cete-

risque

risque Præsulibus impressa Diplomatis exempla per Cæremoniarum Magistros distributa.

His omnibus ità peractis, duo Pontificii Cursores consimilia exempla Valvis Templi Vaticani affixerunt; deinde cum Tibicinibus, & Tympanistis Populi Romani, qui præibant, originale Diploma gestantes ad S. Pauli, ceterasque Basilicas, eamdem publicationem solemniter de more facturi, equitarunt. Propè vigesimam secundam ejus diei horam ad Liberianam Basilicam Sanctę Mariæ Majoris pervenere, illorumque adventui plausus datus est festivâ omnium Ecclesiæ Campanarum pulsatione, cui tubarum, tympanorumque, eos comitantium, sonitus accessit. Indicto postmodum silentio, unus ex Cursoribus suggestum in Porticu Basilicæ præparatum conscendens, Diploma Apostolicum inde recitavit, & publicavit, assistentibus, præter ingentem populi multitudinem, aliquibus ex Clero Basilicæ in subselliis decenter ornatis, cum reliqui eo temporis momento Vesperis in choro solemniter decantatis interessent. Diplomatis evulgationem Campanarum, tubarum, tympanorumque sonitus excepit, quem plurium etiam mortariorum in Areâ Basilicæ explosorum fragor est subsecutus. Interea unus ex Cursoribus marmoreæ Porticus columnæ Diplomatis exemplum affixit, & ambo postmodum Ecclesiam ingressi in Sacello Sanctissimi Sacramenti aliquantisper orarunt, & Altaribus insuper majori, ac Deiparæ Virginis devote visitatis, e Basilicâ discesserunt.

Dum Summus Pontifex ea omnia, quæ ad Jubilei celebritatem pertinebant, adornari paternâ charitate, ac solicitudine satagebat, Reverendissimum Capitulum, & Canonici Basilicæ Liberianæ ea itidem pro munere suo disponi, atque confici sedulò curarunt, quæ ad solemnem illius Portæ Sanctæ Aperitionem ritè, ordinatèque peragendam opportuna visa sunt. Tecti in primis Ecclesiæ necessariam æque, ac dispendiosam instaurationem, piæ mem. Clementis XI., qui & ferreis Cancellis Porticum circumsepserat, liberali subsidio inchoatam, eoque extincto, propter pecuniæ defectum intermissam, strenuè urgere, ac tandem perficere non omiserunt. Magnificum insuper laqueare ab Alexandro VI. conditum, quod pluribus in locis manifestam, proximamque minabatur ruinam, opportunè resartum est. Sumptus autem utrique Operi promovendo, & absolvendo necessarios, qui ad non pauca aureorum millia pervenerunt, munificentissimè contulit Summus Pontifex pro insigni animi sui pietate, atque præcipuâ erga Deiparam Virginem devotione. Ecclesiæptætereà interius Edificium perpolitum, & undique dealbatum: Utrumque Sacrarium novâ decenti supellectile abundanter instructum: Argentea

tea Vasa diligentius a fordibus expurgata, priſtinoque nitori reſtituta: proviſum denique, ut omnia in promptu eſſent, quæ cum Sacræ Cęremoniæ, tum Eccleſiæ dignitatem reſpicere videbantur.

Nec planè minorem eâ occaſione amoris, & venerationis ſenſum erga Baſilicam oſtendit, ſimulque egregiam mentis ſuæ religionem, & magnitudinem luculentiſſimè declaravit Eminentiſſimus Archipresbyter Cardinalis Otthobonus, S. R. E. Vicecancellarius; Nam ſub idem tempus ab illuſtri Artifice elaborari juſſit anaglypho opere duo magna Frontalia (Pallia vocant) argentea, cum Candelabrorum gradu conſimili, quibus utraque Aræ maximæ Pontificiæ facies exornaretur. In eo, quod ampliorem Eccleſiæ navem ſpectat, Nativitatem Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, in alio autem, quod chorum reſpicit, Myſterium Annunciationis Beatæ Virginis expreſſum voluit. Mediam utriuſque Frontalis partem decorabat Epigraphe prominentibus literis argenteis exarata: *Anno Jubilei MDCCXXV.* In gradu Candelabrorum alia cernebatur Inſcriptio conſimilibus literis efformata: *Petrus Card. Otthobonus S. R. E. Vicecanc. Archipresbyter*. Ambo autem Frontalia eam præſeferebant ingenii, ac induſtriæ Artificis prętantiam, ut penè materiem ſuperaret opus, adeòque effuſis omnium laudibus meritò fuerint celebrata. Hoc itaque inſigne donarium Eminentiſſimus Archipresbyter Capitulo Liberiano per Nobilem Familiarem ſuum obtulit die XXI. Decembris, eritque religioſæ ejus in Baſilicam liberalitatis ſplendidum, atque perenne monumentum.

Dum hæc agerentur, cum tempus appropinquaret ſolemnis aperitionis Portæ Sanctæ, expedire duxit Eminentiſſimus Archipresbyter, ut Capitulum Liberianum apud ipſum in Palatio Cancellarię Apoſtolicæ conveniret, ac de iis omnibus maturè deliberaret, quæ ad ejuſdem celebritatis Ritum decenter explendum, menteſque Fidelium ædificandas, neceſſaria, vel opportuna viderentur. In eo igitur Capitulari Conventu habito pomeridianis horis diei XI. Decembris, cui nedum Eminentiſs. Archipresbyter, ejuſque Reverendiſs. Vicarius, ac Reverendiſſimi Canonici univerſi, verùm etiam Cęremoniarum Magiſtri, & Architectus Baſilicæ interfuerunt, plura propoſita, expenſaque ſunt; ac demum, Eminentiſſimo comprobante, præter alia levioris momenti, ſtatutus fuit locus ſeptis, ſeu repagulis ligneis, ad cohibendos irruentis Populi conatus: Podiis pro Nobilibus Fæminis Sacram Functionem ſpectaturis: Solio pro Eminentiſſimo Legato, ac ſubſelliis pro Canonicis, univerſoque Clero, &. P. P Eccleſiæ Pænitentiariis, juxtà ichnographiam ab Architecto delineatam, & oſtenſam. Poteſtas inſuper facta eſt Sodalibus Confraternitatis

nitatis

nitatis Sanctissimi Sacramenti in Parochiali Ecclesia Sanctissimi Salvatoris in montibus erectæ, quæ non ita pridem Basilicæ fuerat aggregata, ut solemni supplicationi in pervigilio Dominicæ Nativitatis ab Ecclesiâ S. Pudenlianæ ad ipsam Basilicam instituendæ interesse, & Sacram Cæremoniam in loco designato extrà Cancellos spectare possent, totoque Jubilei anno Portam auream custodire deberent, ne apud illam aliquid inordinatum perpetrari contingeret.

Actum postmodùm de militari Custodiâ, qua expedire visum est, ut septa, podia, cancelli, ac ipsamet Ecclesia adversus popularem impetum communirentur. Eâ autem in re Eminentissimus Archipresbyter publicæ securitati & quieti opportunè jam consuluisse affirmavit petito, obtentoque à Pontificiis Administris congruo Helvetiorum Agmine, ac integrâ Urbanorum Militum cohorte cum officialibus suis, qui constitutâ die apparere, præstoque esse non omisissent. Idem Eminentissimus deindè exposuit, decrevisse post reserationem Portæ Sanctæ non modò Vesperas in choro solemni ritu concinere, sed etiam sequenti Nocte Matutinum, primamque Missam, & hora consueta tertiam quoque Missam decantare; quod communi omnium plausu approbatum est. Decretum posteà fuit, ut Supplicatio, eâdem Sanctissimâ Nocte fieri solita post Matutinum, cum Sacris Cunabulis Domini Nostri Jesu Christi, prodiret è Januâ Turri Campanariæ proximâ, totamque Porticus longitudinem pertransiens, Ecclesiam ingrederetur per Portam auream, in cujus limine Sacra Cunabula aliquantulum subsisterent, Musicis intereà canentibus versiculum: *Attollite Portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* Ad hæc sancitum, ut eadem Sacra Cunabula publico cultui in Arâ maximâ exponerentur, non tantùm die Dominici Natalis juxtà priscam Basilicæ consuetudinem, verùm etiam in Circumcisione, & Epiphaniâ Domini: quibus diebus ad excitandam, augendamque fidelium devotionem, solemnis quoque Missa Pontificalis decantaretur. Denique Eminentissimus Archipresbyter Porticus, solii, Podiorumque magnificè exornandorum onus perhumaniter in se recepit, relictâ Ecclesiæ, cæterorumque curâ Reverendissimis Canonicis, qui ad cuncta eorum munus respicientia sedulò adimplenda sese promptos, paratosque ostenderunt.

Cum Dominicâ IV. Adventus, qua Jubilei publicatio iteranda erat, in pervigilium Dominicæ Nativitatis incideret, placuit Pontificiarum Cæremoniarum moderatoribus, ut nova hæc publicatio Dominica III. præcedente consueto ritu perageretur. Eâ igitur die, quæ

quæ fuit XVII. Decembris, postremi duo Rotæ Romanæ Auditores, acceptâ à Sanctissimo, dum ad Sixtinum Palatii Vaticani Sacellum progrederetur, Jubilei diploma latino, ac italo idiomate, ut moris est, evulgandi facultate, in Vaticanæ Basilicæ Porticu coram Officialibus Cameræ Apostolicæ in paratis subselliis considentibus, ex Cathedris hinc inde dispositis, prævio, ac subsequenti tubarum, tympanorumque sonitu, & Bombardarum explosione, ejusmodi publicationem complevere. Eâ absolutâ, Pontificii Cursores, utriusque Diplomatis, latini scilicet, ac itali, exemplis ad valvas Basilicæ Vaticanæ affixis, ad reliquas S. Pauli, Lateranensem, & Liberianam Basilicas equitarunt, apud quas eamdem evulgationem eo ipso ritu, qui in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli servatus fuerat, altero tantum superaddito suggestu pro lectione Diplomatis itali, peregerunt, simulque illorum Valvis consimilia Diplomatis exempla affixere.

Vespertinis horis diei XX. Decembris tribus assistentibus Reverendissimis Canonicis, nimirum duobus Sacrario Præfectis, & & Capituli Secretario, e dissecto interiori muro Portæ aureæ Basilicæ Liberianæ, educta fuit Capsula marmorea continens Numismata inibi recondita à fel. record. Cardinali Morigia ejusdem Basilicæ olim Archipresbytero, qui antedictam Portam novissimo Anno Sancto aperuerat, & obseraverat. Erant Numismata primi moduli, sexaginta ex argento, & nonaginta ex ære, non ineleganter excusa, cum epigraphe ab unâ parte: *Jacobus Antonius Tit. S. Cæcil. S. R. E. Presbyt. Card. Morigia Archipresbyt. Liberianæ Basilicæ Portam Auream aperuit, & clausit*: ab alterâ parte: *Innocent. XII. An. IX. Clemente XI. Sed. A. I. An. Jub.* Consentaneum visum est Liberiano Capitulo ea omnia mittere ad Eminentissimum Archipresbyterum, ut de ipsis arbitratu suo decerneret. Ille Summo Pontifici offerenda censuit, ac unà misit Malleum argenteum singulari artificio elaboratum, quo in aperitione Portæ Sanctæ uti decreverat, ut Sua Sanctitas Apostolicam ipsi benedictionem impertiri dignaretur, eoque consilio eidem Malleo sequentia verba scalpro incidi curaverat: ab unâ parte: *Malleus à P. O. M.* Benedicto XIII. *pro aperitione Portæ aureæ Apostolicâ benedictione munitus*: ab alterâ parte: *Petrus Card. Ottbobonus Sacros. Liberianæ Basilicæ Archipresbyter, & S. R. E. Vicecanc. Anno Jubilei* 1725. Sanctissimus Malleum benedictione, & laudibus decoratum, ac simul Numismata ad Eminentissimum Archipresbyterum intacta remisit, qui statim illa Capitulo reddi voluit. Capitulum denique bina argentea, tria ærea, Vicario, & singulis Canonicis distribuit; reliqua omnia Cardinali Archipresbytero

tero reſervavit, à quo ejuſmodi Capitularis obſequii teſtimonium benigne exceptum fuit.

Interea Reverendiſſimi Canonici ſtrenuam, ſedulamque poſuerunt operam, ut Baſilica ſplendidè exornaretur. Puniceis igitur ſericis Damaſcenis, aurea diſtinctis lineâ, media navis Eccleſiæ cum ſuis, quibus utrinque innititur, columnis, conveſtita undique fuit: ſuperadditâ, ſuſpenſaque è coronide, prænobili faſciâ ex oloſerico villoſo rubro, aureis ditatâ laciniis, quæ non mediocrem apparatui ſplendorem, & gratiam adiiciebat. Naves laterales attalicis ſtragulis diſcoloribus circumtectæ. Chorus, intercolumnia, & extrema pars mediæ navis, plurimis encarpis bombycinis congruenter diſtributis, nec non Lichnorum penſilium, ex chriſtallo, ligneiſque fruſtulis inauratis affabre compactorum, aptèque diſpoſitorum ingenti numero decorata. Solium in Choro pro Eminentiſſimo Legato contrâ Aram maximam Pontificiam erectum. Chori pavimentum prægrandi, ac nobili Tapete conſtratum. Cetera demum omnia eo ſtudio, ingenio ac ordine conſtituta, ut ad religioſæ pompæ ſpeciem nihil deeſſe videretur.

Sub idem tempus curâ, & ſumptibus Eminentiſs. Archipresbyteri Porticus Eccleſiæ ſericis Damaſcenis puniceis, quæ aureis lineis diſtinguebantur, circumquaque ornata fuit. Columnæ, eam ſuſtinentes oloſerico villoſo ejuſdem coloris, cum aureis lineis conſimilibus, obductæ. Janua Sanctior magnificentiùs ceteris exculta, ejuſque ſuperum limen Attalicâ veſte prænobili contectum. Fornicem bombycinis rubris jucundâ varietate metatum ſummoperè decorabat pretioſiſſimum Aulæum auro textum, pictiſque imaginibus adumbratum, quod in ejus meditullio præfulgebat. Ampla deinde faſcia ex oloſerico villoſo rubro cum aureis fimbriis totam Porticum præcingens: bombycinæ zonæ ſive in gyrum protractæ, ſive in phaleras colligatæ, ac ingenioſè circumquaque diſpoſitæ: quatuor demum nitidiſſimi, & prægrandes Lichni chryſtallini è Fornice pendentes, univerſo apparatui lucem, decuſque maximum afferebant; ſed nihil perinde ſpectantium oculos oblectabat, ac Solium cum Faldiſtorio pro Eminentiſſimo Legato in extremâ parte Porticus juxta Turrim Campanariam erectum, aureo fulgore conſpicuum, & undique ſpirans majeſtatem, etſi careret Umbellâ penſili, qua in Patriarcalibus Baſilicis nemini, præter Summum Pontificem, uti licet. Solii areolam, & ſubjectos illi gradus, quin etiam Porticus pavimentum, lanea periſtromata purpurea operiebant. Canonicorum, totiuſque Liberiani Cleri ſubſellia, juxtà Solium utrinque collocata, nec non Podia extra, & prope Cancellos erecta, laneis decentibus Aulæis obtecta ſunt. Eam porrò magnificam,

cam, auguſtamque ſpeciem univerſa Porticus præſeferebat, ut populi, qui frequentiſſimus ad eam intuendam confluxit, unanimi judicio nihil excogitari poſſet elegantius, neque ſplendidius; adeòque Architecti ingenium effuſis laudibus meritò fuit commendatum.

Triduò ante Dominici Natalis ſolemnitatem, juſſu Eminentiſſimi Vicarii, omnium Urbis Eccleſiarum, atque etiam Liberianæ Baſilicæ Campanæ, feſtivo more per ſtatutas horas pulſari cæperunt, ut proxime celebritatis gaudium Fidelibus annunciarent. In ipſo autem Dominicæ Nativitatis pervigilio, in quo ſacra cæremonia agenda erat, ab horâ decimaquintâ uſque ad decimamſextam, & à decimanonâ uſque ad vigeſimam ſecundam pulſatæ ſunt. Baſilicæ interim ſacrarum Cæremoniarum Magiſtri ea omnia accuratiſſimè inſtruere, atque parare non omiſerunt, quæ in propinqua filiali Eccleſiâ S. Pudentianæ paranda erant, ut Eminentiſſimus Legatus ibidem ab univerſo Clero Liberiano, nec non ab omnibus ejuſdem Eccleſiæ Regularibus honorificè exciperetur, & poſtmodum ſolemnis Supplicatio, è qua ſacræ Functionis initium de more ſumendum erat, ad Liberianam Baſilicam ritè, ac ordine dirigeretur. Nec ſanè minori ſedulitate, ac providetiâ curarunt, ut in eâdem Baſilicâ, ejuſque Porticu, itidem parata forent quæcumque ad Sacram Actionem commode, decenterque perficiendam opus erant.

Illuxit tandem lætiſſima, & optatiſſima dies referandis quatuor Patriarchalium Urbis Baſilicarum Portis aureis deſtinata, qua etſi Cardinales ad id delecti, atque præmoniti, ad Palatium Apoſtolicum Vaticanum ab antiquo tempore adire ſoliti eſſent, ut à Summo Pontifice ibidem Legati palam renunciarentur, & opportunas acciperent facultates tum Portas aureas cuique aſſignatas reſerandi, tum etiam elargiendi præſentibus plenariam peccatorum indulgentiam: ac poſtmodùm Cappis, & Galeris Pontificalibus redimiti, mulas conſcendentes, ſolemni pompâ, magnoque Nobilium Virorum, ac Præſulum comitatu, ad injunctum munus obeundum equitare ſolerent; placuit nihilominùs Sanctiſſimo Patri ipſis hoc anno Vaticanam profectionem remittere, ac benignè indulgere, ut è ſuis ædibus, rhedâ vecti, ad deſtinatas quiſque Baſilicas recto itinere proficiſcerentur, & Apoſtolici à Latere Legati honorem, ac titulum, cum opportunis facultatibus Unicuique privatim attribuit. Legati fuere Eminentiſſimus Paulutius Epiſcopus Portuenſis, loco Eminentiſſimi Decani Sacri Collegii, adverſâ valetudine præpediti, pro Baſilicâ S. Pauli: Eminentiſſimus Pamphilius Archipresbyter pro Baſilicâ Lateranenſi: Eminentiſſimus Otthobonus Archipresbyter pro

Ba-

Basilicâ Liberianâ. Portæ autem Sanctæ Basilicæ Vaticanæ aperitionem Summus Pontifex sibi, ut moris est, reservavit.

Eminentissimus itaque Archipresbyter Otthobonus, sibi injuncto Apostolici Legati munere perfuncturus, circa horam vigesimam memorati diei XXIV. Decembris è Palatio Cancellariæ Apostolicæ discessit, præmissoque splendido comitatu plurimorum Curruum, & copiosi Familiarium, nobiliumque Virorum Cætus, tres dumtaxat Rhedas Præsulibus plenas secum duxit, ut eâ in re Summi Pontificis, qui modum præscripserat, voluntati obsequeretur. Cum ad Atrium Ecclesiæ S.Pudentianæ pervenisset, statim ac è rheda descendit, Cappâ rubrâ indutus est. Magnâ deinde stipatus Aulicorum, Præsulumque turmâ, ad Januam accessit, cujus in limine ab universo Clero Liberiano hinc inde disposito, & ab Ecclesiæ Regularibus, quo par erat, obsequio exceptus fuit. Cappâ explicatâ, flexisque genibus super pulvino ad id substrato, Crucem à Reverendissimo Canonico Capituli Decano reverenter oblatam devotè osculatus est, Musicis interim concinentibus Antiphonam: *Ecce Sacerdos Magnus*: Mox surgens, accepto de manibus ejusdem Decani Aspersorio argenteo cum aquâ lustrali, seipsum primùm, universumque Clerum Liberianum, deindè Præsules, & frequentissimum populum aspersit. Brevi postmodum peractâ oratione super genuflexorio in mediâ Ecclesiâ præparato, rectà contendit ad magnificum sacellum prænobilis Cajetanorum Familiæ, ibique substitit usque dum Reverendissimi Canonici, & Clerus universus sacra indumenta sumpserunt. Interim verò eidem Eminentissimo Legato sedenti duo Canonici Diaconi ad assistentiam delecti Vestes Pontificales imposuere, nimirùm Amictum suprà Rocchettum, Albam, Cingulum, Crucem, Stolam, Pluviale, & Mitram, re, ac nomine pretiosam. Post hæc Reverendissimi Vicarius, & Canonici, nec non Eminentissimus Legatus ad Presbyterium processerunt, ubi in Arâ principe Ecclesiæ Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum expositum fuerat, eodemque tempore singulis ex Clero cerei funales, quibus supplicationem comitari debebant, per Clericos distributi, accensique sunt. Eminentissimus in genua provolutus, sicut & ceteri omnes, nudato capite aliquantisper oravit. Mox accepto à Ministris thuribulo, ter de more Sacramento, maximâ cum reverentiâ, & devotione, thus obtulit, Hymnumque præcinuit: *Veni Creator Spiritus*: quem Musicorum chorus suavi modulatione prosecutus est. Primâ absolutâ Hymni strophâ, Eminentissimus, & reliqui omnes, surrexerunt, datumque initium est solemni Processioni, seu supplicationi à Sacrarum Cæremoniarum Moderatoribus eo, qui breviter enarrabitur, ordine directæ, ac institutæ.

An-

Anteibant Tympaniſtæ, & Tibicines Cohortis militum Urbanorum, Tympana pulſantes, & Tubis canentes, ad excitandam populi devotionem, atque lætitiam. Sequebantur duo Baſilicæ Miniſtri cum haſtis rubeis, & inſigne orbiculatum Conopeum cum conſuetâ Campanulâ. Proximè portabatur proceſſionale Vexillum cum Cruce, & Laternis Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti, cujus plurimi ſodales rubeis ſaccis induti funalia ardentia geſtabant. Poſt eos, prælatâ Cruce proceſſionali, incedebant R. R. Monachi Congregationis S. Bernardi in Monaſterio antedictæ Eccleſiæ S. Pudentianæ commorantes. Hos excipiebat chorus Cantorum Baſilicę cum Phonaſco, aliiſque eâ in arte præſtantibus, qui ad Sacram Functionem honeſtandam pretio conducti fuerant, & omnes ſuperpelliceis induebantur. Cantoribus ſuccedebant, Claviger haſtam gerens cum argenteâ Imagine Deiparæ Virginis: Clericorum Beneficiatorum Decanus Albâ, & Tunicula indutus, qui medius inter duos Collegas Candelabra cum accenſis candelis geſtantes, Crucem proceſſionalem Capituli deferebat: R. R. Beneficiati, Clerici Beneficiati, & reliqui ex Clero inferioris Ordinis cum Pluvialibus: deinde Reverendiſſimi Canonici, inter quos Subdiaconi Tuniculis, Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Caſulis, duo antiquiores, & Vicarius Pluvialibus, Archiepiſcopus autem Amaſenus Pluviali, & Mitrâ induti. Eos ſequebatur Reverendiſſimus Capituli Decanus, qui Presbyteri Aſſiſtentis munus obibat, dexterâ manu Malleum argenteum portans, aperitioni Portæ aureæ deſtinatum. Apparebat deinde Eminentiſſimus Legatus prælongo auriphrygiato Pluviali, & conſimili Mitrâ inſignis, ceream facem perornatam dexterâ manu gerens, cui duo aſſiſtebant Canonici Diaconi cum Syrmatario, Cęremoniarum Magiſtro, quatuor Baſilicæ Clericis hinc inde diſpoſitis, qui virgas argenteas de more ferebant, pluribuſque aliis Legati Familiaribus Presbyteris ſuperpelliceo indutis: præter ingentem turmam Circumpedum, & longum agmen Aulicorum, nec non Præſulum, Nobiliumque Virorum, qui ad exhibendum id obſequii genus eidem Eminentiſſimo Legato, propter eximia ſua decora univerſæ Urbi mirum in modum accepto, ſpontè confluxerant. Supplicationem denique concludebat ſubſequens treſdecim magnificarum Legati Rhedarum, aliarumque plurimarum ſplendidus comitatus. Helvetiorum Cuſtodiæ Pontificiæ manipulus Legatum utrimque ſtipabat, ſubmotâque irruentis populi turbâ, honorificè affectabatur. Reliquum verò ſupplicantium agmen Urbani Milites cum ſuis Officialibus circumſepiebant, cavebantque, ne compoſitus rerum ordo ullâ ex parte diſturbaretur.

Hac itaque religioſâ, ſplendidâque pompâ, quam lætus Campana-

panarum, Tubarum, Tympanorumque sonitus prosequebatur, Eminentissimus Legatus ab Ecclesiâ S. Pudentianæ ad Liberianam usque Basilicam profectus est; eoque in itinere cum ipse Legatus, tum ceteri omnes, psalmos, & Litanias devotè recitare non destiterunt, Cantoribus interim dulci modulatione concinentibus, & repetentibus Hymnum: *Veni Creator Spiritus:* Antequàm Eminentissimus ad Basilicæ Porticum perveniret, sodales Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, R. R. Monachi Monasterii S. Pudentianæ, R. R. Patres Pœnitentiarii, Musici, universus Clerus, ac ceteri omnes in assignatis cuique stationibus subsistere; Urbanoque milite septa, & Cancellos custodiente, frequentissimi populi turba strenuè coercita fuit, ne confusionem ingereret. Eminentissimus Legatus Porticum ingressus, rectà ad Solium perrexit, ibique consedit, donec, jubentibus Sacrarum Cæremoniarum Moderatoribus, à Campanarum, Tubarum, Tympanorumque fragore cessatum est. Deinde surgens, è Solio descendit: eodemque præeunte Canonicorum, aliorumque sibi assistentium cætu, sinistrâ manu Candelam ardentem tenens, ad Portam auream accessit: acceptoque è manibus Canonici Decani argenteo Malleo, ter percussit tegulam ejusdem Portæ muro infixam, verba recitans præscripta in Rituali typis edito, quod huic Opusculo subjicietur. Post tertium ictum validiùs impressum, reddito Malleo Canonico Decano, ad Solium eodem comitatu remigravit, ibique sedit. Tunc dato Ministris condicto tintinnabuli signo, Portæ Murus antea circumsectus, & ligneis suffultus præsidiis, quæ ipsum, usque ad constitutam aperitionis diem, integrum sustentarent, repentè corruit in suppositum carpentum, quod opifices cum cæmentorum, laterumque reliquiis inde protinus asportarunt. Disrupti muri, apertæque Portæ aureæ jucundissimum nuncium illicò palam evulgavit ingens Tympanorum, Tubarum, Campanarumque sonus, quem æneorum etiam tormentorum, ac Mortariorum fragor esset subsecutus, nisi id Eminentissimus Legatus districtè inhibuisset. Subindè D. Cardinalis depositâ Candelâ, & Mitrâ, è sede surrexit, & Canonico Decano Librum ministrante, præcinuit Versiculum. *Domine exaudi Orationem meam &c.* cum oratione: *Actiones &c.* quâ absolutâ, mitratus sedit Candelam tenens. Intereà duo Basilicæ Pœnitentiarii quidquid cæmenti supererat circa Portam auream, Malleis undique divellebant: alii duo cum spongiis, aquâ lustrali imbutis, limen, & postes abluebant: duo tandem alii abluta mundis linteis extergebant, Cantoribus eodem tempore concinentibus Psalmum: *Jubilate Deo &c.* quem & ipse Legatus submissâ voce recitavit. His peractis, dimisso iterum Cereo cum Mitrâ,

surre-

ſurrexit, & ex libro ſibi miniſtrato præcinuit Verſiculum: *Hæc Dies &c.* cum Oratione: *Deus, qui per Moyſem*: Deindè reſumptâ Mitrâ, & Cereo, rediit ad Portam auream, ab univerſo Clero, ordine tamen inverſo, aſſociatus. Ante Portæ limen dimiſsâ Candelâ, nudato capite, rejectoque pulvino ibidem à Cæremoniarum Magiſtris appoſito, in genua procumbens, humum humiliter deoſculatus eſt; mox acceptâ Candelâ, & parvâ Cruce à Canonico Decano ſibi oblatâ, quam itidem devotè eſt oſculatus, intonuit Hymnum: *Te Deum laudamus*: à Cantoribus exquiſitiori arte ad finem uſque perductum. Hymni primo verſiculo finito, ſurgens D. Cardinalis ſine Mitrâ cum Cruce, & Candelâ, Januæ Sanctæ poſtibus devotum præbuit oſculum, & per eam primus omnium Baſilicam ingreſſus eſt, redditâque Cruce Canonico Decano, & Mitrâ reſumptâ cum Candelâ conſedit in decenti ſolio, prope ipſam Januam præparato. Eminentiſſimum ſecuti fuere duo aſſiſtentes Diaconi, & Decanus, nec non Vicarius, & cæteri omnes Canonici, qui in paratis ſubſelliis itidem conſederunt. Succedebant reliqui ex Clero juxta gradus, & antiquitatis ordinem, qui in ingreſſu, qua par erat devotione, ac reverentiâ, impreſſo Januæ poſtibus oſculo, iter proſequebantur. Poſt eos maxima circumſtantis populi multitudo, quæ ab Helvetiis Cuſtodiæ Pontificiæ militibus cohiberi vix poterat, religionis ardore ſuccenſa, certatim ſacrum Limen ingreſſa eſt; nihil tamen indecorum, aut inordinatum admiſit, quod Sacram Functionem ullâ ex parte turbaverit. Statim ac univerſus Clerus in Eccleſiam pedem intulit, ſurgens Eminentiſſimus Legatus, Clero, Capituloque præeuntibus cum Candelis accenſis, ſupplicabundo ritu proceſſit ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, quò pervenit, cum Muſici verſiculum canerent: *Te ergo quæſumus &c.* depoſitâ Mitrâ, & Cereo, flexiſque humi genibus, ibi aliquantiſper oravit; mox iter proſequens, adivit Altare Deiparæ Virginis, ubi pias itidem effudit preces; ac demum aſcendit ad Aram maximam Baſilicæ, Veſperarum ſolemnia in Choro celebraturus. Dum Reverendiſſimi Vicarius, & Canonici, nec non Clerus univerſus ad ſtalla, ibidem cuique aſſignata, progrediebantur, D. Cardinalis oravit primùm ante præfatum Altare in Genuflexorio ſibi parato, ac ſubindè ad ſolium contendit, in quo paululum, mitratus, ſedit. Mox ſtans abſque Mitra, Veſperarum initium præintonuit, quas Muſicorum chorus ex utroque odeo concinnâ modulatione proſecutus, ad finem uſque perduxit, omnibus interim ſacris Cæremoniis ab Eminentiſſimo Legato ſervatis, quæ in Romanis Ritualibus præſcribuntur.

Fine Veſperi impoſito, Eminentiſſimus Legatus, ſtans cum Mitrâ, Clero, populoque ſolemnem Apoſtolicam benedictionem, imper-

impertitus est; & mox, authoritate sibi à Summo Pontifice attributâ, Indulgentiam plenariam omnibus præsentibus concessit, quam Canonicus Decanus assistens altâ voce publicavit sub formulâ, in memorato Sacræ Functionis Rituali descriptâ. His peractis D. Cardinalis ab universo Clero præeunte associatus, e Choro discessit, adoratoque flexis genibus absque Mitrâ Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, dum ante ejus Sacellum pertransiret, ad Sacrarium Basilicæ progressus est, ubi cum Ipse, tum ceteri omnes, Sacras Vestes deposuerunt. Subinde Eminentissimus debitam venerationem exhibuit Sacris Redemptoris nostri Cunabulis, ad proximam Ædiculam pridiè translatis; quam quidem ædiculam, præter consuetum luminum apparatum, argenteus Lychnus multiplex, & sex alii minores consimiles, congruenter distributi, mirificè illustrabant. Demum idem D. Cardinalis ab universo Capitulo ad Januam Atrii cum mutuâ gratiarum actione deductus, Currum conscendit, & copioso Præsulum, Aulicorum, rhedarumque prosequente comitatu, ad Palatium Cancellariæ Apostolicæ ante solis occasum reversus est.

Pulcherrimum sanè spectaculum eâ die intuentium oculis exhibuerant Porticus, & Ecclesia, eo, quem enarravimus, magnifico cultu refulgentes; verùm jucundius adhuc, atque venustius præbuere sequenti nocte, cum nitidissimi Lychni Chrystallini anteà memorati, & aliæ plurimæ cereæ faces opportunis in locis dispositæ ardere cæperunt. Eum siquidem longè, lateque fulgorem diffundebant, ut depulsis undique tenebris suus cunctis rebus rediret color, & universa Ecclesia non secus, ac diurno tempore colluceret. Propè decimam illius Sanctissimæ noctis horam Eminentissimus Archipresbyter, inclementis cæli, laborumque neglectis incommodis, remigravit, ut decreverat, ad Basilicam; sellâque gestatoriâ, qua delatus fuerat, in Sacrario egressus, rectà contendit ad vicinam ædiculam, in qua sacratissima Infantiæ Domini Nostri pignora servabantur. Adorato itaque primùm loco, ubi steterunt pedes ejus, ad proximum Capituli Conclave perrexit, ibique Sacris Vestibus cum Pluviali, & Mitrâ est ornatus à sex Ecclesiæ Beneficiatis, qui pariter Pluvialibus induebantur. Deinde cum universo Clero ad Chorum supplicabundo ritu processit; ubi Matutinum divinæ laudis officium ex præscripto Cæremonialis Episcoporum solemniter decantavit. Primo tertii Nocturni psalmo inchoato, duobus assistentibus Beneficiatis, psalmos, & preces præparatorias ad Missam privatim recitavit, eodemque tempore ope Familiarium Ocreas, & Sandalia induit. Matutinis precibus persolutis, intonatoque Hymno *Te Deum Laudamus*, quem Musici alternatim de more cecinerunt,

eodem, quo progressus fuerat, ordine rediit ad Sacrarium. Sacra interim Cunabula à Ministris collocata fuerant supra Altare ipsius Sacrarii; cumque D. Cardinalis illùc eo tempore pervenisset, quo Musici concinebant Versiculum *Te ergo quæsumus:* in genua procubuit ante præfatum Altare super pulvino substrato; post finem Versiculi surgens, quatuor illi assistentibus Canonicis junioribus, qui ipsamet Sacra Cunabula mox delaturi Sacras Vestes induerant, eorumque altero acerram ministrante, altero elevante Pluviale, binis thuribulis thus imposuit: quorum uno, flexis iterum genibus absque Mitrâ Sacris Lipsanis summâ cum reverentia thuris honorem persolvit. Deinde secessit, locum daturus eisdem Sacris Cunabulis ad Sacellum Sanctissimi Sacramenti solemni supplicatione de more comportandis. Hoc autem ordine supplicatio instructa fuit. Præibat simulachrum Sanctissimi Crucifixi, quod plurimi sodales sæpe memoratæ Confraternitatis cereas faces accensas gestantes, nec non illius Cappellanus superpelliceo, & stolâ indutus cum simili face sequebantur. His succedebant Basilicæ Claviger, Crux cum Candelabris, Chorus Musicorum divinas laudes concinentium, universus Clerus inferioris gradus, Clerici Beneficiati, Beneficiati Canonici, Vicarius, & Decanus non Canonicali Cappâ, sed Pluviali ornatus, quoniam Presbyteri assistentis munus in Missâ solemni D. Cardinalis obiturus erat. Singuli Cereos accensos deferebant. Post eos à quatuor Canonicis junioribus antedictis honorificentissimè portabantur Sacra Cunabula inclusa in argenteâ Capsulâ oblongâ magni ponderis, summo elaboratâ artificio, & omni ex parte Christallis, unde quinque eorumdem Cunabulorum asseres commodè inspiciebantur, ornatâ, quam cla. mem. Catharina Hispaniarum Regina Catholica ante Seculum Basilicæ dono dedit. Capsulam excipiebat prænobile feretrum, quod thalamum vocant, supernè umbellâ auriphrygiatâ decoratum, & binis ligneis fubnixum validis fulcimentis, quæ iidem Canonici ex utrâque parte dispositi humeris, & manibus sustinebant. Alia deinde longè amplior, atque nobilior umbella superimposita, cujus hastæ a R. R. Patribus tertii Ordinis S. Francisci in Cænobio SS. Cosmæ, & Damiani commorantibus gestabantur, nec non duo de viginti Cerei à Sodalibus prædictæ Confraternitatis, & aliis delati religiosam Sacratissimi pignoris pompam augebant. Supplicantium denique agmen coronabat Eminentissimus Archipresbyter Pluviali, & Mitrà conspicuus, cujus funalem Cereum nobilis Aulicus Ecclesiasticus præferebat.

Eo itaque ordine instituta supplicatio ab Ecclesia per Januam Turri Campanariæ vicinam prodivit in Porticum, quæ ardentium

Ly-

Lychnorum fulgore illuſtrata, ſpeciem præbebat venuſtiſſimam. Inde ad Baſilicam remigravit per Portam auream, cujus Poſtibus ſinguli prætereuntes pia oſcula admovebant. Ipſo in limine ejuſdem Portæ Sacra Cunabula geſtantes ſubſtitere, ac univerſa pariter ſupplicatio gradum continuit; dum Cantores occinere cæperunt Verſiculum *Attollite Portas Principes Veſtras*: Eminentiſſimus Archipresbyter ante ipſam Janum depoſitâ Mitrâ, flexis genibus ſuper pulvino, acceptoque thuribulo, iterum Sacra Lipſana Thure veneratus eſt. Mox ſurgens, Mitram reaſſumpſit, & continuatam ſupplicationem devote ſubſequens, proceſſit ad Sacellum Auguſtiſſimi Sacramenti, cujus in Altari, erectoſuprà Aram ſubterraneam Sanctiſſimi Præſepis Domini N. Jeſu Chriſti, Sacra Cunabula collocata fuere, & Fidelium cultui cum decenti Luminum apparatu palam expoſita. His peractis D. Cardinalis, medius inter quatuor Canonicos, qui Sacram Sarcinam comportaverant, recitatâ Oratione in Breviario Romano præſcriptâ, Matutino Officio finem impoſuit. Poſtmodum in genua procumbens, Sacris Lipſanis denuò thuris honorem exhibuit. Deindè ad faldiſtorium proximè paratum ſeceſſit, ubi dimiſſo Pluviali cum Mitrâ, Sacris Veſtibus ad ſolemnis Sacrificii celebrationem neceſſariis ritè, ac ordine indutus eſt. Demum ad Altare progrediens, Divinam Hoſtiam ſolemni pompâ immolavit, univerſo aſſiſtente Capitulo, & Clero; quibus, iis nimirum, qui Sacerdotalis dignitate inſigniti non erant, inter celebrandum Sacram Synaxim præbuit omnibus: accuratè ſervatis ritibus, quos vel Ceremoniale Epiſcoporum ſtatuit, vel peculiaris Baſilicæ conſuetudo induxit. Inſignium Muſicorum cantus cum Symphoniarum jucundâ varietate conjunctus Sacrificii ſplendorem, & majeſtatem auxit.

Primâ finitâ Miſsâ, Eminentiſſimus cum Miniſtris ad Sacrarium rediit, & in ejus ædiculâ ſecundam Miſſam privatim celebravit, poſt quam ſacris exutus Indumentis ad proxima Canonicalia Cubicula Reverendiſſimi Archiepiſcopi Amaſeni ſeceſſit, ibique permanſit, donec tertiam Miſſam ſolemnem decantandi tempus advenit. Intereà in præmemorato Sacello Sanctiſſimi Sacramenti Laudes cum primâ Divini Officii Horâ recitatæ fuerunt; iiſque abſolutis, unus ex Canonicis inibi ſecundam Miſſam ſolemniter decantavit. Poſt eam Sacra Cunabula ſupplicando ritu ad Chorum tranſlata, publicæque Fidelium venerationi in Arâ maximâ Pontificiâ, ut moris eſt, expoſita fuere. Propè horam decimamſeptimam D. Cardinalis ad Sacrarium deſcendit, ſumptâque Cappâ, univerſo ſubſequente Capitulo, & Clero perrexit ad Chorum, ubi flexis ſuper

pulvino genibus ante Sacra Cunabula preces fudit ; Mox accessit ad Falditlorium, sedit, & dum Cantores suavi, sed lentâ modulatione, tertiam Divini Officii Horam concinebant, preces præparatorias ad Missam denuò legit, sacrasque subindè Vestes induit. Quibus ornatus tertiam Missam Pontificali more, eâdemque prorsùs solemni pompâ, qua primam concinuerat, decantavit in consueto Altari Canonicorum, quod, amoto solio superioribus diebus ibidem erecto, pristinum in locum fuerat restitutum. Tertiâ seriùs finitâ Misså, incunctanter ad Sacrarium remigravit, ut reliquæ Divini Officii Horę celeriùs in Choro persolverentur, sacrisque dimissis Indumentis, & actis Deo gratiis, ab universo Capitulo honorificè ad Currum usque deductus è Basilicâ abiit.

Vespertino tempore Eminentissimus Archipresbyter nullis fessus laboribus iterùm ad Basilicam reversus est, & Vesperis a Reverendissimo Archiepiscopo Amaseno in Choro solemniter decantatis interfuit unà cum pluribus aliis Eminentissimis Cardinalibus, qui ad exhibendam Sacris Cunabulis debitam venerationem pio studio confluxerant. Primâ circiter noctis horâ, eorumdem Venerabilium Lipsanorum Capsula, pluribus assistentibus Canonicis, recondita fuit in aliâ ligneâ decenti Arcâ, in qua jugiter asservari consuevit; eamdemque Arcam subindè Clerici Ecclesiæ, congruo luminum comitatu, rursus transtulerunt ad ædiculam Sacrarii, & supra illius Altare collocarunt. Obseratis demum Ædiculæ foribus, interclusus est ad eam aditus, & custodiendæ clavis curam Reverendissimus Canonicus Decanus in se recepit.

Primâ die insequentis Mensis Januarii, Dominicæ Circumcisioni dicatâ, sub solis ortum Sacra Cunabula ab Ædiculâ Sacrarii, decenti luminum apparatu, ad Chorum devecta fuerunt, & in Arâ maximâ Pontificiâ rursus publicæ fidelium venerationi proposita, juxtâ Decretum Capitularis Conventus anteà memorati. Divinarum laudum penso ibidem persoluto, Reverendissimus Archiepiscopus Amasenus consueto Ritu Missarum solemnia celebravit, quibus interfuit Eminentissimus Archipresbyter cum universo Capitulo, & Clero. Vesperas in eodem loco Reverendissimus Decanus solemniter concinuit. Post finem Completorii Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. privato cultu ad Basilicam venit à Capitulo, & Clero in Porticu congruis obsequii significationibus exceptus. Sumpto de manu Reverendissimi Vicarii aspergillo cum aquâ lustrali se primum, ac deinde Vicarium, Canonicos, & alios benignè aspersit. Mox ad Portam auream progrediens, quatuor illius Custodes Sodales Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti ad Pedis osculum admisit,

ac

ac in genua provolutus, ejusdem Portæ limen, & Postes devotè exosculatus est; deinde Basilicam ingressus recta adivit Sacellum Sanctissimi Sacramenti, ubi iterum flexis genibus aliquantisper oravit. Mox ascendit ad chorum, nova argentea Frontalia Aræ maximæ cum consimili gradu Candelabrorum sedulo circumspexit, & piam Eminentissimi Archipresbyteri liberalitatem dignis extulit laudibus. Post hæc in genua procumbens suprà suppedaneum Sacra Cunabula veneratus est, eorumque argenteam Capsulam è thalamo ad Altaris Mensam demitti voluit, ut inclusos Sacros asseres commodiùs introspicere posset. Cumque hoc Ipsi satis non esset, referandæ Capsulæ ingens desiderium ostendit; eâ tamen in re Pontificiis votis obsecundare non licuit, quoniam nullus prestò erat claustrarius Artifex, cujus opera ad id prorsus necessaria visa est. Quocircà Summus Pontifex, fusis rursus ante Sacra Lipsana piis precibus, perrexit ad vicinum Sacellum Deiparæ Virginis, ibique aliquantulum oravit, ac demum universo Capitulo, & Clero eum obsequentissimè deducente, è Basilicâ abiit. Illicò Sacra Cunabula pristino reposita loco, & paulo post, nempe sub primam noctis horam inclusa in Arcâ consuetâ, ad Ædiculam Sacrarii decenter revecta fuere.

Quartâ die præfati Mensis Januarii, cum Summus Pontifex privato cultu quatuor Patriarchales Basilicas consequendo Jubileo destinatas primum obiret, ad Liberianam, sole jam in occasum vergente, pervenit. Abstinuit ab illius ingressu, ne Fidelibus eamdem Visitationem peragentibus impedimento esset, pro more, quem in aliis quoque Basilicis tenere cœperat, & per Januam Atrii, cujus in limine Capitulum, & Clerus Illi reverenter occurrerunt, perrexit ad Chorum Sacrario proximum. Ibi foribus obseratis, & exclusis omnibus, præter Cruciferum, oravit ante Altare in genuflexorio præparato, piisque suis finitis precibus, per eamdem Januam à Capitulo, & Clero associatus ad Palatium Vaticanum remigravit.

Summo manè recurrentis Festi Dominicæ Æpiphaniæ veneranda Cunabula ex Capitulari Decreto rursus ad chorum deportata, & Fidelium conspectui, pioque cultui in Arâ maximâ tertiò exposita sunt. Dum à Capitulo, & Clero Divinæ Laudes ibidem ex more persolverentur, Eminentissimus Archipresbyter pio ductus studio sequendi exemplum Summi Pontificis, qui eâ die, præter veterem consuetudinem, solemni ritu sacrificare in Vaticano Templo constituerat, venit ad Liberianam Basilicam, & donec prima Divini Officii hora in choro expleta fuit, substitit in Sacrario, audivitque Missam lectam in proximâ ædiculâ. Deindè sumptâ Cappâ, Cubiculario cum argenteâ Clavâ honorariâ, ac aliis ejus Aulicis præeuntibus, Clero

 au-

autem, & Capitulo subsequentibus, processit ad chorum, ubi primùm oravit aliquantisper flexis genibus ante Sacra Cunabula; Mox surgens, ad Faldistorium progressus est. Ibi sedens, dum à Musicis tertia Divini Officii hora decantabatur, preces præparatorias ad Missam recitavit, depositaque Cappâ Sacras Vestes induit; quibus ornatus Sacrificium fecit in Altari Canonicorum eâdem prorsus solemni pompâ, quam in tertiâ Missâ in die Domini Natalis celebratâ servaverat, additâ dumtaxat Sacrâ synaxi, quam Capitulo hac die, & Clero, iis nempè, qui Sacerdotes non erant, religiosissimè præbuit. Missâ absolutâ incunctanter ad Sacrarium reversus est, & Sacris dimissis Indumentis, ac psalmis cum precibus pro gratiarum actione recitatis, è Basilicâ discessit. Vesperas eâ die Reverendissimus Canonicus Decanus consueto ritu decantavit. Postremò cum Fidelium pietati, ac religioni satisfactum esse videretur, post primam noctis horam Venerabilium Cunabulorum Capsula, pluribus assistentibus Canonicis, demissâ ab Arâ Pontificia, & in consuetâ Arcâ devotè reclusa fuit; Quam quidem Arcam subindè Ministri Ecclesiæ detulerunt ad antiquum Ciborium, seu Tabernaculum marmoreum perpetuæ illius custodiæ destinatum; eaque ibidem collocata, Tabernaculi Ostiolum obserarunt tribus clavibus, quarum unam Vicario, alteram antiquiori Camerario, tertiam demum antiquiori itidem Sacristæ Majori, apud quos asservari solent, tradiderunt.

Dum ipsamet Sacra Cunabula solemni, quam enarravimus, pompâ publico cultui Fidelium exposita in luce, & oculis omnium versabantur, & frequentissimus ad illa invisenda, ac veneranda populus confluebat, probi quidam, piique viri ab Ecclesiæ Ministris curiose sciscitati sunt, quo tempore, quave occasione pretiosissima hæc infantiæ Redemptoris nostri monimenta, tum etiam Sanctissimum Præsepæ, cujus glorioso præ ceteris titulo Basilica decoratur, ex Palestina ad Urbem avecta fuerint; nec admodùm congruum sciscitantibus responsum redditum est. Hinc admotus mihi stimulus rem ante hac non satis explicatam accuratius investigandi, & certa ab incertis, vera à falsis secernendi. Quocirca operæ pretium me facturum puto, si ea, quæ de hoc argumento non absque multo labore colligere mihi licuit, in medium proferam.

Densa planè caligo ejusmodi translationis historiæ offusa conspicitur ex defectu, vel potius silentio Scriptorum rei gestæ æqualium. Hinc orta apud recentiores Historicos sententiarum varietas, qua deterritus, ut opinor, Paulus de Angelis (*lib. 2. Cap. 1. prope fin. & lib. 6. Cap. 4. prope fin.*), qui Liberianæ Basilicæ descriptionem Libris XII. complexus est, typisque nitidissimis excudit, controversiam attingere

non

non est ausus; eamque declinans, producit dumtaxat manuscriptum Codicem Transtiberini Cœnobii Monialium S. Cæciliæ incertæ ætatis, ignotique authoris, in quo asseritur: Sanctum Liberium Papam primum Basilicæ fundatorem collocasse in eâ Præsepe, & Cunabula Nostri Redemtoris. Verba Codicis sunt: *Quam præfatam Basilicam idem Pontifex in honorem Dei, & B. Mariæ Virginis consecravit. In qua quidem sibi Præsepe Domini, Cunabula, Fœnum, & pannos Domini Nostri Redemptoris in ejusdem Præsepis Altari miro ordine reverenter cum multis aliis Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum reliquiis, quorum nomina supervacaneum est nominare, collocavit.* Hactenus allatus Codex, cujus fidem, & Pauli de Angelis authoritatem sequutus Oldoinus (*In Not. ad Ciaccon in Vita Liberii.*) hæc asserere non dubitavit: *Sacellum à se in exquiliis à fundamentis erectum, sicut ex pervetustis Martyrum Actis manuscriptis accepimus, Præsepio, in quo Cristus recens natus à mortalibus exceptus fuerat, & fœno ditavit Liberius; ex quo apertè deducimus Præsepis Sacellum eodem tempore excitatum, quo expensis Joannis Patritii, ejusque Uxoris erecta, & consecrata fuerat Basilica illa Liberiana; eamdemque Basilicam, teste Paulo de Angelis, ipsemet Liberius Sacerdotibus Pœnitentiariis, Sacraque Virginis Imagine munivit.*

Huic autem manuscripto Codici S. Cæciliæ, ac simul Oldoini sententiæ illud in primis apertè refragatur, quod Sacra Lipsana in eodem Codice descripta, ubi ad Urbem allata fuerint ante Liberium, qui sedere cæpit Æræ Cristianæ anno 352, à nemine probabilius, vel certè commodius afferri potuerint, quàm à S. Helenâ Constantini Augusti Matre. Ipsa etenim, Eusebio teste (*In vita Constantin. lib. 3. Cap.* 41., & 42.) in Palestinâ diù versata, Christi passionis instrumenta adinvenit, & Locis Sanctis Gentilium superstitione pollutis debitam venerationem restituit. (*Card. Baron. Annal. Eccles. ann.* 326. *num.* 62.) Ipsa iisdem in locis, sumptus Augusto Filio liberaliter suppeditante, magnificas ædificavit Ecclesias. Ipsa Romam adveniens, ut Card. Baronius (*Ibid. n.* 63.) tradit, secum avexit, & in suâ Heleniana Basilicâ religiosissimè collocavit partem Sanctissimæ Crucis, ac illius titulum, & unum ex clavis. Ipsa demum, ut ex eodem Baronio (*Ibid. n.* 62.) atque etiam ex Pagio (*Critic. in Annal. Baron. ann.* 326. *n.* 15. *tom.* 1.) colligitur, anno 326., nimirum sex & viginti annis ante Liberii Pontificatum in Urbe decessit. Nulla tamen cum apud prædictos Scriptores, tum apud alios ab eis nominatos, occurrit mentio, quòd piissima Augusta, præter Sacras Reliquias suprà enunciatas, Præsepe etiam, & Cunabula Domini ad Urbem asportaverit. Quod certè silentio præterire minimè debuissent, ubi re verâ ejusmodi translatio facta ab eâ fuisset.

 Ne-

Negativo huic argumento (quod cęteroqui in rebus antiquissimis non levis momenti est) robur accedit ex prænobili Templo ab eâdem S. Helenâ constructo suprà obscurum illud antrum, in quo, ut Eusebii verbis utamur, nobiscum Deus in terris nasci pro nobis sustinuit; quod quidem antrum monimentis eximiis, & variis cujusque generis insignibus illustravit. Imperator autem pauló post ornamentis regalibus locum ipsum decorare, atque donariis ex auro, & argento variisque Aulæis Matris suæ magnificentiam, ut idem Eusebius, atque etiam Baronius narrant, adaugere cæpit. Quis itaque sanæ mentis dixerit, piam Augustam adduci unquam potuisse ad amovendum ex Antro Betlehemitico, atque alió amandandum Sanctissimum Præsepe, cujus in Honorem, ac cultum adeò sumptuosam Ecclesiam ædificaverat, & tam ipsa, quàm Augustus Filius, muneribus ditaverant splendidissimis. Quod autem non est verisimile, ut Jurisconsulti loquuntur, imaginem habet falsitatis.

Hactenùs dicta expresse confirmant plures Epistolę S. Hieronymi, ac illa præsertim, qua post obitum Liberii, ejusque Successoris Damasi, ab Urbe in Palestinam reversus, Marcellam Romanam Matronam hortatur, ut relictis magnificis Patriæ Porticibus, & auratis Laquearibus, ad Betlehemiticum Christi rus veniat, ac digito in Præsepe Domini,& Cunas intento,illi indicat istorum Pignorum Sanctimoniam,dicens (*Ep.*18.*To.*1.): *Quo sermone, qua voce Tibi Speluncam Salvatoris exponam! & illud Præsepe, in quo Infantulus vagiit, silentio magis, quàm infimo sermone honorandum est*: Et pauló post: *Betlehem ecce in hoc parvo terræ foramine Cælorum Conditor natus est: hic involutus pannis: hic visus à Pastoribus: hic demonstratus a stellâ: hic adoratus a Magis*. Rursùs *in Epistola* 48. *Tom.* 1., qua sceleſtissimo Sabiniano Diacono flagitia exprobrat, ab eo admissa in Sanctioribus Locis Betlehemitici Monasterii, ubi Sanctus Doctor aderat pietati Romanarum Virginum, & Matronarum illuc ab Urbe accitarum, solitariæ vitæ Magister, disertè meminit Præsepis, & Cunarum: ibi: *Tu inter ostia quondam Præsepis Domini, nunc Altaris, amatorias epistolas fulciebas, quas posteà illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inveniret, & legeret*: & inferius: *Totum quidem de te credi potest: sed veneratio Præsepis, & Campi non me sinunt plus credere, quàm te voluntate, & animo corruisse*: Et pauló post: *jam tibi & scalæ, per quas deponeres miseram, parabantur: jam iter dispositum, decreta navigia, condicta dies, fuga animo pertractata; & ecce Angelus ille Cubiculi Mariæ janitor*, CUNARUM DOMINI CUSTOS, *& Infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit*.

Ex verbis Sancti Doctoris, quem è vitâ decessisse anno 420.(*Baron. ann.* 420.*n.*29.*Et in Not. ad Martyrolog.* 30. *Septembris*. *Pag. in Crit.*

ad

ad d. ann. Tom. II. Prosper in Chronico) & alii tradunt, manifestè colligitur, ipso vivente, Præsepe, & Cunabula Domini in Antro Bethlemitico extitisse. Id ipsum præclarè statuit Cornelius à Lapide, dicens: *In hac Basilica* (*Liberiana*) *conditum est Præsepe Domini, Cunæ, fænum, & panni, quibus involutum fuit Verbum Infans, quæ Sanctum Hieronymum, Sanctam Paulam, & Nobilitatem Romanam olim traxerunt in Betlehem*. Quin etiam eumdem Sanctum Hieronymum ibidem apud Dominicum Præsepe sepultum fuisse, Martyrologium Romanum præ cæteris apertè testatur. Quomodò ergo Liberius, qui multò ante Hieronymi obitum, nempè anno 367., teste Baronio, (*In Annal. ann.* 367.) mortalitatem expleverat, in Basilica à se Romæ constructâ eademmet Sacra Lipsana recondere potuit?

Rejectâ, explosâque, hujusmodi translatione perspicuè commentitiâ, & quarto seculo falsò attributâ, convertimur nunc ad inquirendum tempus veræ translationis Sacrorum illorum Pignorum, eamque contigisse opinamur circa annum Christi 644., quo tempore, cum jam Saraceni Palestinam invasissent, subtrahenda fuerunt eorum injuriis sanctiora quæque Lipsana, ibidem priùs religiosissimè custodita.

Sententiæ nostræ facem præfert Marianus Victorius Episcopus Reatinus in Vita S. Hieronymi (*Initio Oper. S. Hieronym. Edition. Roman.* 1576. *Tom. I.*) à Baronio (*ann.* 420. *n.* 50.) ceteris omnibus antelata, in qua propè finem hæc tradit. *Humatus post mortem in Betlehem fuit, exequiis illi ex Christianâ Religione, ut Antonium Paulo fecisse ipse refert, ritè anteà celebratis. Translatus inde posteà Romam est cum Christi Salvatoris nostri Præsepio septimo Idus Maji, eo scilicet die, quo Præceptoris sui Gregorii Nazianzeni Festum agitur.* Duplicem Translationem Corporis Sancti Hieronymi ad Urbem memorat Petrus de Natalibus: (*Catalog. Sanctor. lib.* 4. *cap.* 145.) primam, quam putat factam sub Cyrillo Episcopo Hierosolymitano: sed hæc, ut falsa, nulliusque authoris testimonio comprobata, meritò rejicitur à Baronio (*In Not. ad Martyrolog.* 9. *Maji V. Translatio S. Hieronym.*): secundam, quam factam asserit, cum Saraceni Palestinam invasissent; & hanc, ut veram probat, libentique animo suscipere profitetur idem Baronius, cujus opinionem cum *Lubin* (*In Not. ad idem opus Tabul.* 6. 9. *Maji.*) nos quoque constanter amplectimur. Cum igitur Corpus Sancti Doctoris Romam translatum eo tempore fuerit, quo Saraceni in Palestinam irruperant, ad eam quoque ætatem, juxta sensum Victorii, & Cornelii a Lapide referenda est cum Præsepis, tum etiam Cunarum, de quibus agimus, translatio. Nec dissentire videtur Baronius, qui spe-

ſpeciatim de Præſepe differens, non primis Eccleſiæ ſeculis, ſed longè poſteà, illud ad Urbem avectum fuiſſe tradit. (*Ann. 1. n. 5.*) Ejus verba ſunt: *Porrò Chriſti Natalis nobiliſſimum monumentum ex ligno confectum, nullâque argenti, vel auri cælaturâ contectum, poſt multa tempora indè translatum, Roma poſſidet; eoque multò felicius illuſtratur, quàm tugurio Romuli, quod intextum ex ſtipulâ eorum Majores ad multa ſecula de induſtriâ conſervarunt.*

Inveſtigandum modò ſupereſt quo potiſſimùm tempore Saraceni Paleſtinam invaſerint, ut inde colligi poſſit tempus, & occaſio, qua ſacra illa pignora è Paleſtinâ Romam perlata fuerint. Poſtquam Heraclius Imperator Crucem Dominicam à Perſis receptam unà cum Zachariâ Hieroſolymorum Patriarchâ, ceteriſque Fidelibus captivis, Sanctæ Civitati reſtituerat eâ percelebri pompa, cujus memoriam Eccleſia quotannis recolit die 14. Septembris, Saraceni, ſeu Arabes inſtituta ſectantes Pſeudoprophetæ Mahumetis, (qui anno 632. occubuerat) Heraclium funeſto, diuturnoque bello vexare cæperunt, ac illud ſub variis Ducibus, ſeu Caliphis uſque ad obitum ejuſdem Imperatoris, (*Theophanes ad ann. Heracl. 30.*) qui anno Imperii ſui 31., Chriſti 641., deceſſit; quin etiam cum illius Succeſſoribus, eâ planè mirâ felicitate geſſerunt, ut plures Græci Imperii Provincias, Syriam præſertim, Phœniciam, Ægyptum, & Paleſtinam occupaverint, ipsâque tandem Hieroſolymâ armis expugnatâ potiti fuerint, quemadmodùm ex Cedreno, Theophane, Baronio, Pagio, & aliis ſatis conſtat. Anno præſertim Chriſti 634. cum Omarus, ſeu Umarus tertius Calipha Saracenorum, maximè ſecundâ in præliis uſus fortunâ, plura munitiſſima oppida, atque etiam Damaſcum ſuam in poteſtatem redegiſſet, tanto metu perculit Heraclium, obſidionis illius Urbis exitum prope Edeſſam expectantem, ut ipſe, *quaſi rebus deſperatis, Syriâ relictâ, & venerandis Lignis Crucis vivificæ Hieroſolymâ aſportatis, Conſtantinopolim receſſerit.* (*Cedren., & Theoph. ad ann. Heraclii 24. Zonar. Tom. 3. in Heracl.*) Quod egit Heraclius, exemplo fuiſſe ceteris exiſtimandum eſt, ut ſanctiora quæque in eâ Paleſtinæ calamitate ad tutiora loca aſportari ſatagerent, ne Saracenorum manibus polluerentur; & ad proximè conſequentia tempora, ut ſupra diximus, translationem Præſepis, Cunarumque Domini pertinere conſtanter arbitramur. Sed major adhuc, imò longè ſplendidior, ſententiæ noſtræ lux affulgebit ex iis, quæ mox dicturi ſumus.

Ab ipſo ſuæ ædificationis, inſigni miraculo, illuſtratæ primordio uſque ad annum Chriſti 642., Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris variis nominibus appellata fuit, nimirùm *Sancta Maria*, *S. Maria ad Nives*,

ves, *Basilica Liberii*, *Basilica Sixti*, *& Basilica Sanctæ Dei Genitricis*, quemadmodùm ex Libris Sacramentalibus, Antiphonariis, & Missalibus sub Sancto Gregorio Magno ordinatis, nec non ex regesto Epistolarum ejusdem B. Gregorii, ex Anastasio, Baronio, cæterisque Scriptoribus Ecclesiasticis abundè liquet. Deindè sub Theodoro Papa, qui Sedem Romanam tenuit ab anno Christi 642. usque ad annum 649., eadem Basilica vocari cæpit S. Maria *ad Præsepe*; quo nomine primùm insignita occurrit apud Anastasium in Vitâ ejusdem Theodori his verbis: *Romam fugit Mauritius ad B. Mariam* AD PRÆSEPE, *quem tollentes de Ecclesiâ miserunt bojam in collum ejus*. Et hoc novo vocabulo idem Anastasius eam deinceps passim nuncupat in subsecutis Pontificibus Martino I., Eugenio I., Gregorio II., Gregorio III., Stephano III., Hadriano I., Leone III., Paschali I., & aliis. *Seriùs tandem ipsa Basilica*, *ut quæ novitate miraculi*, *ac dignitate cæteris ejusdem nominis Basilicis præstabat*, *vocabuli etiam excellentiâ significaretur*, ECCLESIA S. MARIÆ MAJORIS DICTA EST; (*Breviar. Roman.* 5. *Augusti)*; eamque appellationem Bibliothecarius illi primùm attribuit in Gregorio IV., qui sedere cæpit anno 827., ubi hæc ait: *Et in eâ (Ecclesiâ S. Mariæ Transtyberim) fecit Præsepium ad similitudinem Præsepii S. Dei Genitricis*, QUÆ APPELLATUR MAJORIS. Et rursus in ejusdem Gregorii Successore Sergio II. *Ipse verò à Deo protectus*, *& præclarus Pontifex pro remedio*, *& futurâ animæ suæ retributione*, *Cameram Præsepis Domini nostri Jesu Christi*, *quod Basilicæ Beatæ Dei Genitricis Dominæ nostræ connectitur*, *quæ* MAJOR *ab omnibus nuncupatur*, *argenteis tabulis*, *ac deauratis*, *habentibus historiam B. Dei Genitricis Mariæ*, *magnificè*, *atque præcipuè perornavit*. Cœpit igitur Liberiana Basilica nuncupari SANCTA MARIA AD PRÆSEPE sub Theodoro Papa, ut diximus, nec ante illius Pontificatum, nempe ante annum Christi 642., hoc nomine (quod sciamus) à quoquam appellata reperitur. Hinc porrò certissimum, ac irrefragabile elicitur argumentum, quod recens hæc Sanctæ Mariæ AD PRÆSEPE denominatio eidem Basilicæ tunc attributa, non aliundè manaverit, nisi ex Præsepe, eique adjunctis Cunabulis, quæ, Theodoro sedente, & non anteà, ex Betlehemiticâ Ecclesiâ ad Romanam Liberianam Basilicam delata fuerant.

Nec planè rationes desunt abundè suadentes, memorata sacra pignora, Theodoro Papa sedente, ac strenuè adnitente, è Palestina ad Urbem convecta fuisse; Nam erat ipse Pontifex Hierosolymitano parente natus, & ad sacra Lipsana conquirenda ultrò propensus; fundavit siquidem in Patriarchio Lateranensi Altare Sancti Silvestri ad Sancta Sanctorum subindè dictum, & proximum Sacellum Sancti Laurentii, in quo tum ille, tum

Suc-

Successores Pontifices intulere Reliquias omnium pretiosissimas, è Palestina præsertim asportatas. (*PanciroI.de Sacr.Urbis Romæ Thesaur. Reg.2.n.12.*) Religiosum insuper ejus studium ad honoranda sacris Ædibus, & donis Christi Martyrum, aliorumque Sanctorum Lipsana maximè intentum probant Ecclesiæ S. Valentini ad Pontem Milvium, & B. Euplii ad Portam Ostiensem, ab eo constructæ: nec non Corpora SS. Martyrum Primi, & Feliciani eruta ex arenario Viæ Nomentanæ, adducta Romam, recondita in Ecclesia S. Stephani in Monte Celio, & donis ornata, ut Bibliothecarius, Ciacconius, Platina, & alii memorant in ejus vita.

Suppetebat prætereà Theodoro Papę occasio aptissima ad Sacras Reliquias ex Palestina ad Urbem transferendas per Stephanum Dorensem Episcopum, qui non semel ex illa Regione ad eumdem Pontificem venit, ut communis paterni soli pericula tum à Barbaris, tum etiam ab Hæreticis impendentia illi patefaceret, opemque gravissimis malis imploraret à Sedis Apostolicæ providentia. (*Ex Libello ejusd. Stephani, de quo in 2. Secr.Conc. Lateran. sub Martino I. ann.*649.) Hunc enim Præsulem inter Comprovinciales Palestinæ præcipuum Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, morti proximus, secum duxerat in Sacrum Calvariæ Montem, & præcepto, ac jurejurando per Sanctissima illa, quæ oculis patebant, & manibus attrectabant, nostræ Redemptionis monimenta obstrinxerat, ut quantociùs Romam adnavigaret, & afflictis Christianorum rebus, divinoque in primis cultui suppetias à Pontifice flagitaret. Patriarchæ mandatis non impigrè obsequtus Episcopus Dorensis illicò Romam contendit, & Papæ Theodoro exponens, quæ commissa sibi fuerant, parem in Romano Pontifice reperit solicitudiuem, & studium occurrendi illius Provinciæ necessitatibus. Ornavit itaque Theodorus Stephanum Dorensem Apostolici Vicarii potestate in Hierosolymitanam Sedem, morte Sophronii vacantem: ac ipsum illuc remisit anno circiter Christi 643., ut ex Baronio colligitur; eique præ cęteris injunxit, ut hæreticis Monothelitis fortiter obsisteret, & cętera sacra sedulò procuraret. Quæ autem in ea Provincia gesserit idem Stephanus sub Theodoro Papa, ejusque Successore S. Martino, exquiri possunt ex Libello ejusdem Stephani inserto in Secretario 2. Concilii Lateranensis sub præfato Martino Papa, & ex literis ipsius Pontificis ad Joannem Episcopum Philadelphiæ, relatis, & fusè explicatis a Baronio (*Ann.* 643. *n.* 16. 17., & 18. & *Ann.* 649. *n.* 15., & 84.); ex quo prætereà discimus Hierosolymam, & Palestinam cum adjacentibus Regionibus per ea tempora Saracenorum tyrannidi fuisse subjectas.

Pulcherrima itaque, ut ad propositum revertamur, Theodo-

ro

ro Papæ oblata fuit occasio transferendi è Palestina ad Urbem Sacra Lipsana, de quibus agimus, eamque minimè neglexisse censendus est Pontifex Hierosolymâ oriundus, sacris Reliquiis conquirendis intentus, à Patriarcha Hierosolymitano per sacra omnia rogatus, ut afflictis Palestinæ rebus opem ferret; Qui Episcopo Dorensi, ad ejusmodi translationem curandam maximè idoneo, commodè uti poterat, dum ipsum ad illas partes remiserat, ut vacantem Patriarchatum Hierosolymitanum cum potestate Vicarii Apostolici administratet; Qui optimè omnium noverat, quanto in periculo pretiosa salutis nostræ monimenta illic versarentur, cum orthodoxa fides à Monothelitis hæreticis dirum in modum oppugnaretur, & universa Palestina sub Saracenorum jugo misere laboraret; Qui demum pro Pastorali omnium Ecclesiarum solicitudine maximè obstringebatur sedulam, strenuamque navare operam, ut sacra quælibet illius Provinciæ à Barbarorum captivitate, & prophanationibus vindicata ad tutiora loca convectarentur. Vidimus tunc, & non anteà accessisse Basilicæ nonum vocabulum S. Mariæ ad Præsepe. Vidimus idem vocabulum, postquàm, Theodoro sedente, primùm audiri cæpit, sub illius proximis Successoribus continuò memoratum. Discimus insuper ex Anastasio *In Martino I. ann.* 649. Ciaccon. *in eod.* Paul. de Angel. *lib.* 6. *cap.* 5. *pag.* 117. & aliis, ab illis maximè temporibus augeri cæpisse Basilicæ venerationem; ac in morem inductum, ut Summus Pontifex frequentius ibidem, præsertim verò in nocte Dominicæ Nativitatis in Cappella Præsepis solemne sacrum faceret; nec non publicæ supplicationes (*Anastasius in Sergio I. ann.* 687.) quatuor in anno diebus exeuntes ab Ecclesia Sancti Hadriani ad Basilicam Sanctæ Mariæ ad Præsepe progrederentur. Scimus demùm ab illa ipsa ætate tum Præsepi, ubi reclinatus fuit Dominus in ortu suo, tum Cunabulis, quibus Infans detinebatur, præcipuum à Fidelibus tributum fuisse honorem, & cultum in peculiari Sacello Basilicæ ad Præsepe vocato, ubi olim religiosissimè asservabantur; qui sanè cultus perpetuò custoditus, quin etiam mirum in modum subindè auctus est ex pretiosis, atque insignibus ornamentis, quibus Summi Pontifices, & plures insuper magni Principes, hasce Reliquias Sanctissimas decorarunt. Quid igitur luculentiora adhuc inquirimus documenta, tempus, occasionem, & modum ostendentia, quibus eadem Sacra pignora facilè asportabilia ad Urbem avecta fuerint; cum ea, quæ hactenus allata sunt, rem perspicuam, & manifestam facere videantur?

Dum hanc dissertatiunculam adornaremus, Vir humanissimus, ejusdem Basilicæ Canonicus, nec tam Præsulatus honore, quàm omni-

omnigenæ doctrinæ laude conspicuus, Franciscus Blanchinus, nobiscum communicare dignatus est Notas, quas ad S. Sixtum III. pro tertio Tomo Anastasiani Operis de Vitis Pontificum propediem typis excudendo paravit. Quibus in Notis eruditissimus Author hoc idem argumentum fusè pertractans, nobiscum usquequaque consentit. Quamobrem oblata nobis est occasio summoperè in Domino gaudendi, cum inspeximus opinionem nostram tanti Viri suffragio, atque judicio comprobari; quin etiam cum voluptate legimus ipsum ulteriùs progredi, nec sine validarum rationum præsidio opinari, non modò Præsepis, & Cunarum Domini, verùm etiam Sanctorum Matthię, & Hieronymi Corporum, aliorumque insignium Lipsanorum, quæ olim apud Hierosolymam, & Betlehem deposita, nunc verò in Liberiana Basilica recondita sunt, translationem ad eadem Pontificatus Theodori tempora pertinere.

Nullis antea tentatum viribus, æquor propositæ disceptationis summo ingenii, ac sapientiæ robore Archiepiscopus Amasenus feliciter superavit. Sed ne aliquibus fortasse videatur, caute præteriisse scopulos, quibus a littore soluta navis statim impingere potuisset: in disquisitione ponam, quod ipse, jam certus eundi, pro argumento sumere non dubitavit. Sciscitari etenim non pauci solent: Quomodo in hisce ligneis Cunabulis natus Dominus reclinatus fuerit; cum ipsius Præsepe in rupe excisum affirmet Burchardus *in Descriptione Terræ Sanctæ par. 1. cap. 7.* & lateritium, seu ex luto coctili confectum fuisse testetur Divus Joannes Chrysostomus *Serm. ad cap. 2. Lucæ*. Aqua hæret, ut ajunt; sed facilius dubitatio tollitur, quam inicitur. Liceat eadem referre verba, quibus Auctor *Exercitationum de Christo, ejusque Virgine Matre*, *in xxx.* illarum, quæstionem colligit, ac dissolvit. *Visitur etiamnum Romæ, ad S. Mariam Majorem, ligneum, gemmisque ornatum Præsepe. Quid ergo? Suppositum suspicabimur, ac pro arbitrio fictum, ut fidelium pie colentium religioni illudatur? Absit; sed possunt hæc facile conciliari. Burchardus enim, & Joannes Chrysostomus, non de ipso Vase loquuntur, quod constat fuisse ligneum, servaturque nunc Romæ; sed de structura illa exigua, quæ ipsum Præsepe ligneum continebat: quæque vel lapidea erat, vel lateritia. Ad majorem quippe firmitudinem Vas ligneum lapideæ, seu lateritiæ cavitati inclusum erat; & utrumque perinde Præsepe non incongrue nuncupatur. Ut sileam, laudatum sermonem dubium esse S. Chrysostomi fœtum, viderique Scriptoris latini, admodum recentioris*. Nititur veritate sententia; sed frustra conjecturis astruimus, quod digito possumus indicare. En duplex Domini Præsepe in Basilica Liberiana. Unum lapideum: alterum ligneum. Illud immobile manet sub Ara, cui nomen prębet; hoc, Sacer-

cer-

cerdotali dexterâ circumferendum, argenteis, atque cryſtallinis clauſtris intuemur ornatum. Alterum ab altero avulſum gemino pietatis ſtudio vetuſtior ætas excoluit; nos adhuc loco ſejunctum pari veneramur obſequio. Si dubia paucorum fides utrumque invicem conferre poſſet, protinus cerneret in unum iterum coaleſcere. Quod ad vocabulum attinet, quò lapideum, ſimulque ligneum conceptaculum exorti divini Infantis, nuncupatur Præſepe: juxta collatam ſymbolam ab eodem Exercitationum Auctore, recte quidem in hac ſignificatione uſurpatum fuiſſe arbitror. Plurimorum ſcriptorum graviſſimis teſtimoniis poſſem confirmare ſententiam; ſed nequaquam puto, ut ad rem transferam maximi Athenienſium Oratoris effatum, in hoc poſitas eſſe fortunas Greciæ, atque Latii, immo vero totius terrarum Orbis. Atque hæc ſunt, quæ ſimillima Maronis Apibus:

Ignavum, fucos, pecus a Præſepibus arcent.



Ad




D ſacrum limen patefactæ Portæ convertimur. Jam illud, expiatis criminibus, innumera Urbis, & Orbis populorum agmina intraverant: & brumali iterum redeunte ſolſtitio, inſtare videbatur jam dies, quæ labentem Jubilei Annum impleret; cum Eminentiſſimus Cardinalis Otthobonus omnia juſſit expediri, ad proximam Portæ Sanctæ obſerandæ ſolemnitatem ſpectantia; atque in eandem curam, ſummâ animorum conſenſione, totus inclytus cœtus Patriarchalis Baſilicæ Liberianæ ſtudioſe, & diligenter incubuit. Templum, ac Templi facies paribus effulſere pretioſiſſimis ornamentis, accurata partium diſpoſitione congeſtis in hujus Enarrationis exordio. Nihil defuit ſimillimo rerum apparatui, præter cuneos intra porticum, extra porticum ſepta. Uſui etenim fore minime videbantur hac vice: quà ſpectatum admiſſi, cum rari admodum eſſe ſoleant, omnes humi conſiſtunt: & procul poſiti, ferreis prohibentur cancellis, quibus eſt nuper præcincta porticus, ne irruptione aliqua religionis ſacra conturbent. Eadem vero Urbanorum militum cohors, eademque Helvetiorum manus, in præſidium advocata fuit, & ad cuſtodiam adhibita. Ut paucis rem abſolvam: pietas, magnifecentia, ſecuritas, impreſſis inhærendo veſtigiis, ſe ipſam ſtuduit æmulari.

Poſt-

Poſtquam igitur Sol omnia luſtraſſet zodiaci ſigna: & vix quatuor horarum ſpatio, in occaſum vergens, Nativitatis Domini ſacram noctem anteverteret: viſum eſt Eminentiſſimo Cardinali Archipresbytero præfinitum tempus adeſſe Apoſtolicæ Legationis, iterum obeundæ: quam ſibi a Summo Pontifice commiſſam fuiſſe, ex literis Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis a Secretis Status, pauloante intellexerat. Diſceſſit itaque ex ampliſſimo Palatio, quod S. R. E. Vicencancellarii titulo obtinet poſſidendum, & late implet nominis magnitudine: ſemperque implebit in poſterum; cum pene totum eodem animo, quo fuerat extructum, ab interitu vindicaverit. Tantum domeſtici, externique decoris in itinere explicuit, quantum ſuſcepti muneris dignitas poſtulabat. Ubi primum ad S. Mariæ Majoris auguſtiſſimam Ædem pervenit, Urbanos, Helveticoſque milites obvios habuit: atque ab univerſo ejuſdem Baſilicæ Clero interim exceptus fuit, quò par erat, obſequio. Cappa rubra indutus, latèque explicata, ad Portam Sanctam acceſſit; flexiſque genibus ſuper pulvino, quem ſubſtrato tapeti ſervorum manus impoſuerat, oblatam ſibi a Vicario Capituli, oſculatus eſt Crucem. Mox ſurgens, acceptàque de ipſius Vicarii manibus luſtrali aquà, ſe ipſum, omnemque Clerum, populumque reſperſit. Baſilicam ingreſſus, ad ſacellum ſe contulit, in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervabatur, ut ipſum coleret, & adoraret. Deinde converſus ad Deiparæ Virginis imaginem, cæleſtem illius opem, fuſis præcibus, imploravit. Præterea laudavit Dominum in omnibus Sanctis ejus, quorum reliquiæ in pluribus Templi partibus honorifice conditæ reperiuntur. Aſcendit denique ad Aram maximam, Veſperarum ſolemnia in choro celebraturus. Ante ipſam rurſus oravit; mox ad ſolium perrexit. Dum ipſe Pontificalibus veſtibus a duobus Canonicis ornabatur: cæteri omnes ſacra indumenta ſumpſerunt. Poſtquam igitur viſi fuerunt aſtare, ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ Domini, præſcriptà vocis modulatione, præcinuit Veſperarum exordia: earumque finem Apoſtolica benedictione concluſit. Undique reſonantibus Organis, thus ex acerra, per Canonicum Decanum Præsbyterum aſtantem porrecta, in thuribulum fudit: quod ſuſpenſum manibus obtulit Ceremoniarum Magiſter. Funales cerei ſingulis interim diſtributi, accenſique fuerunt; & præeuntibus ſimul, qui Crucem, qui candelabra geſtarent, cæpit Clerus ſupplicabundo ritu procedere. Venerabili ſigno redemptionis noſtrę, prope ſolium delato, Eminentiſſimus Cardinalis frontem humiliter ſubdidit. Poſtmodum ſumptâ mitrâ, deſcendit ad Aram maximam Pontificiam: unde, cum pauliſper oraſſet nudato

ca-

capite, rursus tecto, cereamque facem dextera tenens, progressus est ad facellum SS. Sacramenti. Ibi iterum supplex Deum vocavit in vota. Post hec, stantem sese cunctis ostendit; & nova quadam fulgere visus majestate oris intonuit: *Cum jucunditate exibitis*. Musicorum chorus antiphonam prosequutus, dulcisone canendo absolvit eodem momento temporis, quo Eminentissimus Cardinalis, Portà Sanctà novissimus omnium egressus, pervenit ad solium, in porticu ipsius Basilicæ singulari magnificentia excitatum. Cerea face deposita, sese locavit in sede. Primus vero Præsbyter, & duo insimul Diaconi, qui de more assistebant, scamnis incubuere. Capitulum, & reliqui ex Clero, in stationibus substiterunt, longo ordine peculiariter assignatis. Brevi interjecta mora, singuli assurrexerunt Eminentissimo Cardinali, accedenti ad Portam Sanctam: prope quam dispositas, atque parata erant omnia, molitioni novi operis necessaria. Relictâ mitrâ, candelâque retentâ, coctilium laterum, liquatæque calcis, diviso bifariam cumulo insimul benedixit his verbis; *Adjutorium nostrum &c.* quibus prolatis, utramque congeriem primum asperfit lustrali aquà, deinde cremato thure suffivit. Tunc stetit, sumpsitque mitram: niveoque, tenuissimo linteo (quod recte appellamus gremiale; nec forte aliter vetustiores Latini appellassent, si suo olim gremio persimile tegumentum adhibuissent) a Ceremoniarum Magistro præcinctus fuit. Super stragulum, pulvinumque paratum flexit proinde genua: & summa sibi reverentia traditum a Primo Canonico, Præsbytero Assistenti, argenteum Cochlear accepit. In illius triquetro anteriori spatio, anaglypticè ornato, jusserat hæc incidi: *Cochlear a P.O.M.* BENEDICTO XIII. *pro clausura Portæ Aureæ, Apostolica benedictione munitum*. In adverso autem: *Petrus Cardinalis Ottbobonus, S.R.E. Vicecancellarius, Episcopus Sabinensis, Patriarchalis Liberianæ Basilicæ Archipræsbyter. Anno Jubilei MDCCXXV.* Eadem fere verba insculpta fuerunt in Malleo, quo Portam Sanctam aperuerat & quem paucos post menses in Lauretana Æde votivo more suspendit. Cochlear quoque, in usus adhibitum claudendi ipsammet Portam auream S. Mariæ ad Præsepe, Sanctissimæ Domui Nazaret jam secum animo deliberavit offerre. Si cuncta suis sunt referenda principiis: jure videbitur, utrumque fuisse deductum munus ex loco, ubi Virgo peperit, ad locum, ubi Virgo concepit. Hujusmodi itaque Cochleari (quod proprie dicitur Trulla) ter sumpsit è scypho, nempe receptaculo, calcem; eamque primo posuit in medio liminis dicens: *Inside, & virtute Domini Nostri, Jesu Christi, Filii Dei vivi*. Secundo a dextris, addendo; *Qui Apostolorum Principi dixit: Tu es Petrus*. Tertio a sinistris, perficiendo sermonem: *Et super banc petram* *edi-*

ædificabo Ecclesiam meam. Extentis, æquatisque injectæ calcis acervulis, & cochleari dimisso, primum superimposuit lapidem, atque ait: *Collocamus lapidem istum primarium*. Secundum stravit, subiciens: *Ad claudendam hanc Portam Sanctam*. Tertium denique firmavit, enuncians: *Singulo Jubilei Anno reserandam*. Tum Crucis signum super tres lapides, invicem hærentes, ter manu produxit, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.* Etsi contrahere nitimur quod explicare debemus; tamen innuere non prætermittimus: Calcem in alveolo, seu lacunculo aurato per Murarium Fabrum fuisse porrectam; Lateres vero, undique obductos auro, ac nobilissimo gentilitio stemmate ipsius Eminentissimi Cardinalis Otthoboni insignitos, fuisse per Architectum oblatos. Mystico, ut pauloante narrabam, labori intentus Apostolicus Legatus, suscepit iterum cochlear; haustamque pluries è scypho calcem jecit in interiorem sacri liminis partem, a tergo primi jam impositi lapidis. Marmoream deinde Arculam, Numismatibus plenam, ulnisque Primi Præsbyteri Assistentis allatam, in substructione locavit. Una omnibus inerat Numismatibus forma, partim ære, partim argento, atque auro conflatis. Formam ipsam describere nobis curæ erit in præsens; numerum recensere pertinebit ad posteros. In anteriori igitur Numismatis parte cælestis imago S. Mariæ Majoris effulgebat excusa, cum hac epigraphe: *Felix Cæli Porta:* & cum hac temporis designatione: *Anno Jubilei MDCCXXV*. In posticâ vero Numismatis parte hujusmodi insculpta fuerat inscriptio: *Petrus Card. Otthobonus, S.R.E. Vicecancellarius, Clementis XI. beneficio Sacrosanctæ Basilicæ Liberianæ Archipræsbyter, Portam Auream Aperuit, mox Episcopus Sabinensis Clausit*. Sub inscriptione effigies ejusdem Aureæ Portæ surgebat eleganter incisa, eamque ab utroque latere Epocha Pontificalis ornabat: BENEDICTO XIII. SEDENTE. Æra spirantia mollius excudere si alius unquam fortasse poterit; nemo certe accepti beneficii memoriam publicis monumentis commendabit illustrius. Ut se se gratum ostenderet cunctis futuris ætatibus erga Clementem XI. immortalis gloriæ Pontificem, cui plurimum debere Eminentissimus Card. Otthobonus, raro virtutis exemplo, profitetur assidue: non solum in hoc Numismate, verum etiam in Pastorali Epistola ad Clerum, & Populum Sabinensis Diæcesis, data Pridie Non. Februarii Jubilei Anno MDCCXXV., testatam fecit persimilem animi significationem: quam altius recensere non piget, ut laudati Numismatis uberius interim illustretur Inscriptio. Prope Epistolæ finem hæc itaque habentur verba: *Hodierna die, quâ vos primum salvere jubemus, Ipse Summus Sacerdos* (nempe BENEDICTUS XIII.) *dignatus est cælesti Sponsæ nos*

ma-

magno connubii Sacramento conjungere. Nec sine ineffabilis providentiæ consilio statuit, sacras Nuptias in Basilica S. Mariæ Majoris esse potissimum celebrandas. Voluit namque manifesto comprobare, ad augendam spem nostram: ibi vera esse gaudia, ubi fixa sunt corda. In medio igitur illius Templi suscepimus Dei misericordiam, in quo jamdudum Nos collocare, Archipresbyteratus honore insignitos, placuit Maximo Benefactori Nostro, Clementi XI. gloriosæ in omne ævum memoriæ. Vetus promeritum, jampridem perituræ chartæ commissum, nunc ære perenni servatum exhibet recentior gratia. Nondum igitur Pastorali suscepto munere, sicuti patet ex allata Epistola, qua certa Consecrationis dies insigniter denotatur, Eminentissimus Cardinalis Otthobonus Portam Sanctam aperuit; atque idcirco in laudata Numismatis inscriptione appositum cernimus: *Mox Episcopus Sabinensis clausit*. His expositis, pedem referam, unde subduxeram. Cum itaque in fundamentis Portæ Sanctæ pretiosa Numismata condidisset, Cantoribus occinentibus Hymnum: *Cælestis Urbs Hierusalem*: rediit infulatus ad Solium, sedit, lavitque manus. Nobilis Familiaris togatus aquam è gutturnio fudit, excepitque malluvio; Canonicus Decanus, utpote primus Præsbyter astans, mantile præbuit in disco. Recedentibus illis, accessit protinus Ceremoniarum Magister, ut linteum solveret, seu subligaculum (liceat prophanam vocem ad rem sacram transferre) quo Eminentissimus Cardinalis pauloante præcinctus fuerat; atque ut ceream ardentem facem illi iterum traderet sustinendam. Interea fervebat opus, quod sex Pœnitentiarii Basilicæ sine ulla intermissione laboris perficere conabantur. Linteo, cochleari, atque scypho separatim instructi: atque Fabrorum cæmentariorum ope conjunctim adjuti, statim ac loco cessit Eminentissimus Legatus, super jactis fundamentis extruere murum occæperant. Cumque ad superliminare extulissent, absoluto Hymno: *Cælestis Urbs Hierusalem*: Porta Sancta penitus clausa fuit. Tunc Eminentissimus Legatus sine mitrâ surrexit, atque ait: *Salvum fac Populum tuum Domine* &c. Hæc fatus, quæ fusius habentur in Rituali: rursus sedit, donec cerei extinguerentur. Deinde celsus, atque sublimis, intonuit Hymnum: *Te Deum laudamus*. Dum reliquos versiculos Musici alternatim canebant, ipse vicissim cum Primo Præsbytero, & astantibus Diaconis, recitavit; cæterique omnes submissâ voce dixerunt. Eo temporis intervallo, quò harmonica vocis inflexio plurimum distat à simplici pronunciatione verborum, universus Liberianæ Basilicæ Clerus sacro munere donatus fuit. Ex aureâ siquidem lance, quam deferebat Acholytus, depromere Numismata cæpit secundus Ceremoniarum Magister; & singulis Ca-

nonicis bina: unum nempe æreum, alterum argenteum: cæteris tantummodo æreum distribuit. Hujusmodi largitione, prorsus sejunctâ a quovis ambitu terrenæ laudis, ad cælestem dignitatem, & gloriam omnibus aditum patefacere Eminentissimus Cardinalis pio secum animo cogitavit. Æternum quippe inæstimabile pretium Apostolicæ benedictionis cuncta Numismata continebant. Perducto interim ad exitum Hymno, rursus è Solio surrexit sacrâ mitrâ circundatus, atque ait: *Sit nomen Domini benedictum* &c. Post hæc, extulit in cælum oculos; atque ut omne bonum, descendens a Patre luminum, super universum Clerum, & Populum effunderetur, enixis precibus postulavit. Extentâ denique Sacerdotali dexterâ omnibus benedixit. Tum Solio subnixus resedit, atque annuit, ut per Primum Canonicum, Præsbyterum Assistentem, publicarentur Indulgentiæ sub formulâ, in memorato sacræ functionis Rituali descripta. His peractis, cuncto plaudente populo descendit è solio: & per majorem Basilicæ Januam, tunc patefactam, ordinatim præeunte Clero, ad Sacrarium se contulit; ubi cum ipse, tum cæteri omnes sacras vestes deposuerunt. Proximam deinde Ædiculam petiit, veneraturus Salvatoris nostri Cunabula: quorum exhibuimus impressum in fronte Operis modulum, ex archetypo adamussim deductum. Gratiis Deo persolutis, ob expletum Apostolicum munus aperiendi, & claudendi Portam Sanctam: inter gratulationes, & laudes totius Capituli, & Cleri, quod ineunte, atque exeunte Jubilei anno, omnia rite, ac recte, faustè, ac feliciter contigissent, ad ostium Atrii pervênit. Eò egressus, Currum conscendit; & magno Præsulum, Procerum, Aulicorumque agmine comitatus, discessit. Rectâ tendens, ad Palatium Cancellariæ Apostolicæ, priusquam nox terris incubuisset, reversus fuit. Lætior ipse ab Exquiliis, sacrâ functus Legatione descendit, quam qui unquam redierit, triumphantis in morem, è vertice Capitolii. Sed inane specimen vero animi gaudio ita dedecet comparare: sicut priscam Capitolii superbiam, quæsitam tugurio Romuli, cum sacro Exquilini Montis decore, qui divinitus manat è Domini Præsepe, nefas esset conferre. Vivat diu sospes; diuque fruatur gloriâ, quam sibi relictam ab Optimo, Sapientissimoque Pontifice ALEXANDRO VIII. Patruo Magno, non solum sustinet ex dignitate, sed adeo auget in dies: ut illius amplitudine, patrios Adriæ fluctus æquante, longe lateque terras implere videatur. Suis interea virtutibus (quibus eandem ingentem gloriam sibi sapientissime comparavit: & quibus metas aut rerum, aut temporum nequaquam pono) vehementius urgeat assidue ad veram laudem sectandam, licet suâ sponte excita-

tum,

tum, plæclarissimum Clerum Patriarchalis Basilicæ Liberianæ. Illius inquam Basilicæ, quæ (ut Cornelius a Lapide jure optimo censuit) *Est omnium, non solum quæ in Urbe, sed quæ in Orbe universo sunt, Beatæ Virginis augustissima, & sanctissima: in quà Ipsa in Exquiliis, quasi in excubiis, pro fidelibus Urbis, & Orbis excubat; eosque docet, illuminat, protegit, opitulatur: ditat opibus, tam spiritualibus, quam temporalibus: omnesque ad se vocat, ut ab ea sapientiam discant, ejusque beneficiis, & gratiis potiantur*. Ad exitum perductâ Sacrorum Rituum enarratione, hoc mihi superest optandum: ut eadem Sacrosancta Basilica, de qua sum ausus habere sermonem, prophetico, ad Hierusalem, compræhensa existat oraculo: *Occupabit salus muros tuos, & Portas tuas laudatio*.





RITUS SERVANDI
IN APERITIONE, ET CLAUSURA
PORTÆ SANCTÆ
Sacrosanctæ Patriarchalis Basilicæ
S. MARIÆ MAJORIS
ANNO JUBILÆI MDCCXXV.

Ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino

PETRO OTTHOBONO

Tituli S. Laurentii in Damaso Presbytero Cardinale, ejusdem Basilicæ Archipresbytero, SS.D.N.Papæ à Latere Legato, & S.R.E. Vicecancellario.





ROMÆ, MDCCXXVI.
Typis ANTONII DE RUBEIS in Via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

RITUS SERVANDUS
IN APERITIONE
PORTÆ SANCTÆ
LIBERIANÆ.



Eminentissimus & Reverendissimus D. Cardinalis Legatus cum pervenerit ad Ecclesiã S. Pudentianæ, in loco destinato sacris vestibus paratus, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce, Stola, Pluviali, & Mitra pretiosis, medius inter Diaconos assistentes, procedit ante Sanctissimum Sacramentum expositum; ubi deposita prius Mitra, & facta genuflexione, aliquantulum orat. Similiter DD. Canonici omnes parantur secundum ordinem suum, & Clerus totus cum pluvialibus paratur. Dum præfatus D. Cardinalis orabit, distribuuntur, & accenduntur candelæ. Facta oratione, & imposito incenso in thuribulo absque benedictione, genuflexus ter incensat Sanctissimum Sacramentum; quo incensato, adhuc genuflexus intonat Hymnum:



Ad cujus primum Versum omnes genuflectunt. Finito primo Versu ordinatur Processio usque ad Portam Sanctam aperiendam, & Cantores in via prosequuntur in cantu hymnum prædictum.

Cum Eminentissimus D. Cardinalis Legatus pervenerit ad Portam Sanctam, ascendet ad sedem suam, in qua hymno finito, aliquantulum sedet mitratus. Mox cum mitra, & candela descendit ad Portam sanctam, ibique sinistra tenens candelam, & dextera accipiens malleum sibi à primo Canonico parato porrectum, dicit tres sequentes versus, percutiendo ter Portam Sanctam.

Dat primum ictum, dicens:

℣. Aperite mihi portas justitiæ.

 ℟. In-

℟. Ingreſſus in eas confitebor Domino.

Dat ſecundum ictum, & dicit:

℣. Introibo in domum tuã Domine.

℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Dat tertium ictum, ac dicit:

℣. Aperite mihi portas, quoniam nobiſcum Deus.

℟. Qui fecit virtutem in Iſrael.

Quo facto, reddito malleo primo Canonico, cum candela, redit ad ſedem ſuam, in qua ſedet; & Miniſtri cum ſuis artificiis in ictu oculi diruunt murum Portæ ſanctæ, auferendo lapides & ruinas. Tum D. Card. depoſita candela & mitra, ſurgit, & digniori Canonico librum miniſtrante, dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat; & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Oratione dicta, D. Card. ſedet, & accipit mitram, ac candelam, interim duo Pœnitentiarii parati cum ſuis malleis totam portam diſrumpunt, duo alii Pœnitentiarii, cum ſpongiis aqua benedicta madefactis, lavant limen, ac poſtes Portæ ſanctæ, & demum alii duo Pœnitentiarii manutergiis exte.gunt. Interim Cantores cantant Pſalmum:

Jubilate Deo omnis terra &c.

Porta omnino aperta, lavata, & abſterſa, D. Cardinalis depoſita candela & Mitra, ſurgit, & dicit:

℣. Hæc dies, quam fecit Dominus.

℟. Exultemus & lætemur in ea.

℣. Beatus populus tuus Domine.

℟. Qui ſcit jubilationem.

℣. Hæc eſt porta Domini.

℟. Juſti intrabunt in eam.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Deus, qui per Moysen famulum tuum populo Israelitico annum Jubilæi, & remissionis instituisti: concede propitius nobis famulis tuis Jubilæi annum hunc tua auctoritate institutum, quo portam hanc populo tuo ad preces tuæ Majestati porrigendas ingredienti solemniter aperiri voluisti, feliciter inchoare: ut in eo venia atque indulgentia plenæ remissionis omnium delictorum obtenta, cum dies nostræ advocationis advenerit, ad cælestem gloriam perfruendam, tuæ misericordiæ munere, perducamur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Finita oratione, accepta mitra & candela, descendit de sede sua ad Portam sanctam apertam, & ante eam deposita mitra, genuflexus, sinistrâ tenens cereum, accipit dextera à primo Canonico parato parvam Crucem, quam osculatur, & intonat:



Quem Cantores prosequuntur, & dicto primo Versu D. Cardinalis surgit, & sine mitra, cum Cruce & candela, Portam sanctam intrat, prope ingressum reddita Cruce primo Canonico, imponitur mitra, & sedet in sede ibi parata, donec Clerus per ordinem fuerit ingressus. Tum Clero & Capitulo præeuntibus ad Altaria Venerabilis Sacramenti & Deiparæ Virginis procedit, illisque preces genuflexus effundit, indeque pariter supplicabundus ad Aram maximam Basilicæ se recipit, prope quam Vesperarum solemnia peragit.

IN PRIMIS VESPERIS NATIVITATIS DOMINI.

Antiphona.



Hymnus.



Ad Magnif. Antiphona.



℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Concede quæsumus omnipotens Deus: ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet; quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem Dominum nostrum.

℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Mox Eminentissimus Dominus dat benedictionem solemnem; qua data, per primum Canonicum publicantur Indulgentiæ sub hac forma.

Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Petrus Tituli S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis OTTHOBONUS, hujus nostræ Sacrosanctæ Basilicæ Archipresbyter, à latere Legatus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino nostro Papa concessa, dat, & concedit omnibus hic præsentibus Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiæ consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papę, Eminentiæ suæ Reverendissimæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Facta supradicta Indulgentiarum publicatione, eodem processionis ordine ad Sacrarium revertuntur. Ubi Eminentissimus D. Cardinalis Legatus sacras vestes deponet.

Et si Eminentissimo Domino libuerit, ante vel post Vesperas, ostenduntur aliquæ Reliquiæ insignes quinque, vel septem.

RI-

RITUS SERVANDUS
IN CLAUSURA
PORTÆ SANCTÆ
LIBERIANÆ.



Eminentissimus & Reverendissimus D. Cardinalis Archipresbyter nostræ Sacrosanctę Basilicæ, accepta à Summo Pontifice per Epistolas Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis à Secretis Status facultate Legati à latere ad claudendam Portam Auream dictæ nostræ Ecclesiæ, ac potestate concedendi præsentibus Indulgentiam Plenariam in forma Jubilæi, die & hora præstitutis, ex ædibus solitæ suæ habitationis, ad nostram Sacrosanctam Basilicam, debito curruum apparatu se confert.

In porticu cappa indutus per Portam Sanctam in Basilicam ingreditur, ibique à Capitulo & Clero excipitur; apud Altaria Augustissimi Sacramenti & Deiparæ nec non apud Aram maximam procumbit, ac preces effundit; & acceptis à Capitulo & Clero sacris indumentis, ut in aperitione Portę sanctę, tandem ipse Eminentissimus D. Card. Legatus sacris induitur, & apud ipsam Aram maximam Vesperarum solemnia absolvit; & impertita de more Populo benedictione sedet, donec distribuantur & accendantur Cerei.

Tum imponit thus in thuribulum, eidemque benedicit dicens

Ab illo benedicaris &c.

Salutat deinde Crucē sibi à Subdiacono oblatam; ordinatur Processio, & cereum manibus tenens venit ad medium Ecclesiæ: ubi, si placet, genuflexus sacras insignes Reliquias quinque vel septem veneratur; deinde venit ad Cappellam Sanctissimi Sacramenti, quo genuflexus adorato, surgit, & ex libro per primum Canonicum substentato intonat Antiphonam:



&

& dum Cantores profequuntur.

Et cum gaudio deducemini, nam montes & colles exilient expectantes vos cum gaudio. Alleluja.

Fit proceffio, & omnes cum candelis accenfis, exeunt per Portam Sanctam; & Dominus Cardinalis, fumptis mitra, & candela, procedens ad Porticum, ultimus omnium Porta Sancta egreditur, adhuc cereum accenfum geftans. Ibi paratum fibi folium confcendit, & fedet, donec à Cantoribus perficiatur Antiphona; & lapides, calx, ac alia ad obftructuram neceffaria difponantur. Tum accedit ad Portam fanctam, prope quam fiftens, depofita mitra, cereum accenfum retinens benedicit Lapides & calcem, dicens:

℣. Adjutorium noftrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cęlum & Terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & ufque in fæculum.

℣. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.

℟. Hic factus eft in caput anguli.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobifcum.

℟. Et cum fpiritu tuo.

Oremus.

Summe DEUS, qui fumma, media, imaque cuftodis: qui omnem creaturam intrinfecus ambiendo concludis, fancti † fica, & bene † dic has creaturas lapidis, calcis, & fabuli. Per Chriftum Dominum noftrum.

℟. Amen.

Oratione expleta, & pofito cum benedictione incenfo in Thuribulum, afpergit, & thurificat lapides & calcem. Mox reaffumpta mitra, genuflexus accipit de manu primi Canonici Cochlear, cum quo ter fumit ex fcypho calcem, eamque primo in medio liminis, fecundo à dextris, tertio à finiftris deponit, ac extendit, æquatque: Dimiffo tandem cochleare fuperimponit calci primum lapidem in medio, fecundum à dextris, ac tertium à finiftris, alium alteri hærente, legendo ex libro, nempe: Ad primam calcis dejectionem in limen.

In fide & virtute Domini noftri Jefu Chrifti filii Dei vivi.

Ad fecundam.

Qui Apoftolorum Principi dixit: Tu es Petrus.

Ad

Ad tertiam pariter calcis dejectionem.

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad primam verò lapidis impositionem.

Collocamus lapidem istum primarium.

Ad secundum lapidem.

Ad claudendam hanc Portam Sanctam.

Ad tertium verò,

Singulo Jubilæi anno reserandam.

Tum ter manu signum Crucis super lapides impositos producens, dicit:

In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti. Amen.

Deinde offerente eodem primo Canonico pretiosa Numismata in una vel pluribus capsulis clausa, illa cum calce item conglutinat; interim Cantores concinunt Hymnum:

Cælestis Urbs Hierusalem &c.

Eminentissimus D. Cardinalis ad sedem suam cum mitra redit, sedet, & lavat manus; & subito Pœnitentiarii, adjuvantibus operariis, continuant sine intermissione murum, Portam in totum claudendo. Tum absoluto à Cantoribus Hymno, deposita mitra, surgit, & canit:

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic hæreditati tuæ.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ, clemens, & benignus exauditor existis: exaudi nos quæsumus, & præsta; ut inviolabilis permaneat hujus loci sanctificatio, & beneficia tui muneris in hoc Jubilæi anno universitas fidelium impetrasse lætetur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Mox sedet, donec extinguantur cerei, deinde surgens intonat Hymnum.



Quo per Cantores expleto, accepta mitra, solemniter populo benedicit, dicens:

℣. Sit nomen Domini benedictum &c.

Tum sedet, & per primum Canonicum publicantur Indulgentiæ sub hac forma:

Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Petrus Tituli S. Laurentii in Damaso commendati Cardinalis OTTHOBONUS, Episcopus Sabinensis, S. R. E. Vicecancellarius, hujus nostræ Sacrosanctæ Basilicæ Archipresbyter, à latere Legatus, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino nostro Papa concessa, dat, & concedit omnibus hic præsentibus Indulgentiam plenariam in forma Jubilei. Rogate igitur Deum pro felici statu ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ, Eminentię suę Reverendissimæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Deinde processionaliter omnes Emin. & Rever. Dñi ad Sacrarium comitantur.



IN SACROSANCTAM BASILICAM

S. MARIÆ MAJORIS

O D E.

MOnti Exquilino cedite ceteri
Quos Roma vasto continet ambitu:
Cedant, sub auras qui superbum
Orbe ferunt reliquo cacumen.
Huc laus Orebi, munere Numinis
Translata, Pastor cui caput arduum
Jethræus olim non nocenti
Obstupuit radiare flammâ:
Translata Sacri Symbola Fœderis
Sancti Sionis mystica gloria:
Carmelus huc transmittit omnem
Isacidis celebrem decorem.
Stat mole grandi Regia Virginis,
Matrisque Sedes; Ipsa locum sibi
Optavit; Ædis decidente
Ipsa sibi Nive duxit Orbem.
Sensit Beatus Romulidum Pater,
Qui tum Sacratis fulsit in Infulis;
Educta in auras ire tecta
Liberii pia cura jussit.
Nec Sixtus Ædi contulit impari
Labore mentem: Sixtus, honoribus
Quem Roma divinis decorum
Cælicolum numero recenset.
Post aucta crevit pignoribus piis,
Augustiori quæ loculo sita,
Splendore Majestatis omnes
Allicerent populos, & Urbes.
Evasit exin marmore ditior,
Gemmisque, & auro munere Præsulum:
Ornavit illam Sixtus alter,
Atque pari pietate Paulus.

O dignâ Sedes nobilis Imperi,
Quo Virgo Gentem Christiadum regit!
Hìc regnat, & sceptro benigno
Dat placidæ pia jura pacis.
Non hìc strepenti territa culmina
Cæli tonantis murmure personant:
Non Nube tetra densus Æther
Terrificos jaculatur ignes.
Hæc sunt minaci quæ Sina vertice
Monstravit ardens signa rebellibus,
Cum fulgurantis lex severo
Aligeri data venit ore.
At Exquilinis Sedibus emicat
Lux alma cunctis, quæ facilis movet,
Flectitque montes, ac amico
Imperio dominatur Orbi.
Sic Diva regnat, sic sua temperat
Clementiori sceptra modestiâ;
Sic suavitatis Virgo Regnum
Pacifica pietate condit.
Hùc vult adiri, gaudet & Ædibus
Infundi apertis Agmina supplicum;
Nec quemquam inanem ferre Sacris
Liminibus patitur repulsam.
Nunc quâ coluntur prima cubilia,
Queis membra nati composuit Dei,
Se sistit, ut cunctis paratas
Fundat opes, miserosque ditet.
Nunc, vagientis gemmea Pupuli
Quâ Cuna celso pegmate tollitur,
Fæcundioris lac salutis
Uberibus jubet ire plenis.
Nunc, quâ recondit murrhinus Icona
Spectandam Achates Icona Principis,
Quam dextra pinxit, dextra quondam
Thejodotis memoranda libris:
Mansuetiori sceptra tenens manu
Regina, clemens fulmina comprimit
Irasque Cæli comminantis
Urbibus, ac populis ruinam.

Hic

Hìc vult vocari sollicitâ prece
In vota, gratis auribus accipit
Voces precantum, quos favore
Prompta fovet, recreatque donis.
Quàm sępe Sanctis gratia largior
Effluxit aris! adfuit, adfuit
Martine, Numen, teque Achivis
Insidiis dedit esse tutum.
Hìc te canentem, Maxime Gregori,
Stipante Cætu Purpureo Patrum,
Excepit olim voce lætâ
Empyrea chorus arce missus.
Hìc vis Leoni fortior indita,
Qua Monstrum in antro sterneret abditum,
Plebemque, Romanosque Cives
Faucibus eriperet Draconis.
Huc ergo vestros, nec mora, pergite
Huc ferte gressus Romulidum globi,
Huc Roma currens pergat Aras
Supplicibus cumulare votis.
Hac Æde fusos respicit æquior
Princeps Quirites: protegit hìc potens
Patrona causas: hìc fideli
Præsidio est miseris asylum.
Ipse Ordo Sacris dignior Infulis,
Clerusque pergat, pergat honoribus,
Ac persolutis rite pensis,
Virgineum celebrare nomen.
Nec se reductis septima cum dies
Horis resolvit, pangere desinat
Laudes Parentis Turba, voce
Dulcisona dare docta cantus.
At, Diva, serva limina barbaræ
Furore Gentis: si sua mænibus
Tormenta belli, Marte sævo
Admoveat furibunda Turma.
Serva Exquilinum; parcite, parcite
Infesta Templis Agmina, parcite
Ausu profano Præpotentis
Christiparæ temerare Sedes.

Si quando diris (omina, Cælites
Arcete) Romæ ſæviat ignibus
Vulcanus audax, flamma ſacræ
Tecta procul veneretur Ædis.
Si forte tentet Mulciber inſolens,
Repente pænas pro meritis luat;
Ultore nix effuſa grandis
Sacrilegas premat imbre flammas.
Tuque ò per Orbem marmora perdere,
Atque æra ſuetum Tempus edacius,
Quod dente mordaci Coloſſos,
Atque Ducum monumenta rodis:
Hæc fata rerum: jus tibi Conditor
Præſcripſit olim; jure ſed abſtine,
Æternitatis donec ortus
Solis equos, celereſque currus
Siſtat, volutis currere motibus
Vaſtos per orbes ſidera nec ſinat:
Menſeſque ceſſent, ceſſet annus
Compoſitâ ſerie dierum.



